



The Holy See

FRANCISCI PP.
SUMMI PONTIFICIS
ADHORTATIO APOSTOLICA
POST-SYNODALIS
“AMORIS LAETITIA”
EPISCOPIS PRESBYTERIS DIACONIS
PERSONIS CONSECRATIS
CHRISTIANIS CONIUGIBUS
OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS
DE AMORE IN FAMILIA

[\[pdf\]](#)

1. **Amoris laetitia** quae in familiis viget laetitia est quoque Ecclesiae. Sicut demonstrarunt synodales Patres, quamquam sunt crebra matrimonii discriminis indicia, “familiae desiderium vivum manet, inter iuvenes potissimum, quod Ecclesiam permovet”.^[1] Ut huic studio responsum “christianus de familia nuntius bona est utique notitia”^[2].
2. Synodale iter familiarum condicionem apud hodiernum mundum in medium posuit, cum nostrum conspectum amplificaret ac nostram item conscientiam de matrimonii familiaeque pondere refoveret. Eodem tempore implicata argumenta tractata necessitatem nobis attulerunt altius libere quasdam quaestiones doctrinales, morales, spirituales ac pastorales vestigandi. Pastorum ac theologorum inquisitio, si erga Ecclesiam fidelitatem, probitatem, realitatem et vim creatricem persequitur, nos ad maiorem claritudinem reperiendam iuvabit. Disputationes quae inveniuntur per instrumenta communicationis vel scripta atque quin etiam inter Ecclesiae ministros, cum omnia demutare effrenate student absque meditata cogitatione vel fundamento, tum omnia solvere volunt per generales normas vel per immoderatas conclusiones, quae ex theologis inquisitionibus oriuntur.

3. Commemorantes tempus superius esse quam spatium, confirmare volumus non cunctas doctrinales, morales vel pastorales disputationes per magisterii declarationes esse absolvendas. Ut liquet, in Ecclesia docendi agendique unitas est necessaria, sed nihil obstat quominus quasdam doctrinae partes aliquave consecretaria, inde evenientia, interpretandi varii modi exstent. Id accidet donec Spiritus deducet nos ad omnem veritatem (cfr *Io 16,13*), id est cum in Christi mysterium penitus nos introferet et omnia eius intuitu conspicerere poterimus. Praeterea in quaque natione vel regione quaedam expediendae rei rationes inveniri possunt, magis cultura fruentes, traditionibus locique provocationibus studentes. Nam “culturae multum inter se discrepant et quodque generale principium [...] inculturatione indiget, si servari vult et adhiberi”^[3].

4. Quidquid est, fateri debemus synodale iter eximiam pulchritudinem tulisse multumque luminis. Gratias agimus de compluribus subsidiis, quae Nos iuverunt ad quaestiones mundi familiarum omnibus ex partibus ponderandas. Cunctae Patrum sententiae, quas attente auscultavimus, veluti magni pretii polyhaedrum Nobis visae sunt, compluribus legitimisque sollicitudinibus necnon rectis sincerisque interrogationibus compositum. Quapropter aequum iudicavimus Adhortationem apostolicam postsynodalem conscribere, quae sententias colligeret duarum proximarum de familia Synodorum, aliis additis considerationibus quae cogitationes, dialogum vel pastoraalem actionem dirigere, et eadem opera animum erigere, concitare familiasque iuvare earum in muneribus ac difficultatibus possint.

5. Adhortatio haec peculiarem induit significationem intra Annum Iubilarem Misericordiae. Primum, quod ad christianas familias eam dirigimus, quae eas concitet ad matrimonii familiaeque dona aestimanda et amorem item servet solidum et bonorum plenum, quae sunt liberalitas, officium, fidelitas ac patientia. Alterum, quod animum ipsa vult addere omnibus, ut signa sint misericordiae proximitatisque ubi familiaris vita plane non perficitur vel pacifice laetanterque non evolvitur.

6. Hunc textum scribentes, incipiemus quaedam de Sacra Scriptura depromentes, quae congruam conferant cursus vim. Inde sumentes initium hodiernam familiarum condicionem considerabimus, solido fundamento nitentes. Exinde doctrinae Ecclesiae de matrimonio ac de familia quaedam potiora memorabimus, ita ut duo praecipua capita inseramus, amoris dicata. Proinde quasdam pastorales rationes collustrabimus, quae nos ad solidas fecundasque familias constituendas secundum Dei consilium dirigant, necnon caput ad liberos instituendos dicabimus. Postea misericordiae discretionisque pastoralis invitamentum enuntiabimus pro condicionibus quae plane iis non respondent quae nobis proponit Dominus, atque quaedam tandem spiritualitatis familiaris lineamenta describemus.

7. Propter divitias duorum annorum meditationum quas synodale iter secum tulit, haec Adhortatio diversimode complura variaque argumenta tractat. Hoc necessariam ipsius explicat longitudinem. Quapropter generalem celeremque lectionem non suademus. Ea quidem adiumento erit, tum familiis tum pastoralis familiaris operatoribus, si patienter eam, alteram partem post alteram, alte percipient, aut si in ea requirent quibus in qualibet certa condicione indigent. Probabiliter fieri

potest, exempli gratia, ut in quarto et quinto capite magis se agnoscant coniunges, pastorales operatores sexto capite magis fruuntur, atque omnes octavo capite valde moveri percipiant. Optamus ut unusquisque, legens, ad curam amabiliter habendam vocetur familiarum vitae, quandoquidem ipsae “non difficultas, sed potissimum sunt opportunitas”[4].

CAPUT PRIMUM

SUB VERBI LUMINE

8. Sacra Biblia familiis, generationibus, amoris familiarisque discriminis narrationibus inde a prima pagina replentur, quam Adam Evaeque familia occupat, violentiae suum exhibens onus ac vim pariter vitae quae producitur (cfr *Gn* 4), usque ad postremam paginam ubi Sponsae et Agni nuptiae demonstrantur. (cfr *Apc* 21,2.9). Duae domus, quas commemorat Iesus, supra petram aedificatas aut supra arenam (cfr *Mt* 7,24-27) tot familiares condiciones manifestare possunt, quas illarum incolae libertate fruente ferunt, quia, ut poeta scribit, “quaeque domus est candelabrum”[5]. Ingrediamur nunc in quandam id genus domum, Psalmista duce, per canticum quod adhuc cum in nuptiarum Hebraico ritu tum christiano proclamatur:

“Beatus omnis, qui timet Dominum,
 qui ambulat in viis eius.
 Labores manuum tuarum manducabis,
 beatus es, et bene tibi erit.
 Uxor tua sicut vitis fructifera
 in lateribus domus tuae;
 filii tui sicut novellae olivarum
 in circuitu mensae tuae.
 Ecce sic benedicetur homo,
 qui timet Dominum.
 Benedicat tibi Dominus ex Sion,
 et videas bona Ierusalem
 omnibus diebus vita tuae;
 et videas filios filiorum tuorum.
 Pax super Israel!” (*Ps* 128,1-6).

Tu tuaque Sponsa

9. Portam igitur intremus huius tranquillae domus, ubi circum festivam mensam familia sedet. Medium locum occupant pater et materfamilias una cum universis vetustis amoris suis exemplis. In ipsis illud primigenium consilium efficitur, quod studiose commemorat ipse Christus: “Non legistis quia, qui creavit ab initio, masculinum et feminam fecit eos” (*Mt* 19,4). Atque Libri Genesis mandatum repetit: “Quam ob rem relinquet vir patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae; et

erunt in carnem unam” (*Gn* 2,24).

10. Eximiis in primis duobus Genesis capitibus par hominum exhibetur in praecipua sua condicione. In illis initiorum Bibliorum verbis quaedam decretoriae sententiae elucent. Prima, quam summatim Iesus commemorat, dicit: “Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos” (1,27). Praeter opinionem “Dei imago” explicandi causa par revocat “masculi et feminae”. Num id sibi vult Deum sexu frui aut divinae cuidam sociae iugari, sicut quaedam antiquorum religiones putabant? Ut patet, haudquaquam, quandoquidem novimus quanta claritate Biblia opinioniones has reiecerint idolatricas, inter Chananaeos Terrae Sanctae vigentes. Dei transcendentia servatur, sed, quippe qui sit pariter Creator, fecunditas par humani “imago” est viva et efficax, visibile creandi actus signum.

11. Par quod amat generatque vitam vera est vivens “sculptura” (minime illa lapidea vel aurea quam Decalogus vetat), quae Deum creatorem ac salvatorem ostendere valet. Quocirca fecundus amor symbolum fit reconditarum Dei rerum (cfr *Gn* 1,28; 9,7; 17,2-5.16; 28,3; 35,11; 48,3-4). Hac de causa Libri Genesis narratio, “traditionem sacerdotalem”, quae dicitur, persequens, per varias generationum series notatur (cfr 4,17-22.25-26; 5; 10; 11,10-32; 25,1-4.12-17.19-26; 36): etenim generandi facultas, qua par humanum pollet, via est qua salutis historia evolvitur. Hoc sub lumine, fecundum vinculum coniugum imago fit ad detegendum et collustrandum Dei mysterium, praecipuum utique in christiana consideratione Trinitatis, quae in Deo Patrem, Filium et amoris Spiritum contemplatur. Deus Trinitas communio est amoris atque familia eius vivens est repercussus. Sancti Ioannis Pauli II verba nobis lucem adferunt: “Deus noster, suo in intimo mysterio, non est solitudo, sed familia, cum in se habeat paternitatem, filiationem et familiae essentiam, quae est amor. Amor hic, in divina familia, Spiritus Sanctus est”^[6]. Familia itaque non disiungitur ab ipsa divina essentia^[7]. Trinitaria haec indoles quam exhibent coniuges novam reperit faciem in sancti Pauli theologia, qui eandem cum “mysterio” nectit coniunctionis inter Christum et Ecclesiam (cfr *Eph* 5,22-33).

12. At Iesus matrimonium considerans, ad aliam nos remittit paginam Libri Genesis, caput II, ubi mirabilis coniugum apparet effigies claris distincta particulis. Earum duas tantum eligimus. Altera est hominis inquietudo qui “adiutorium simile sui” (vv. 18.20) quaerit, quod solitudinem illam depellere possit, quae eum deturbat quaeque propinquis animalibus omnique creato haud sedatur. Primigenia Hebraica loquela ad rectam necessitudinem, fere “ad frontem” – ab oculis ad oculos - remittit, per dialogum etiam tacitum, quia in amore silentia saepe eloquentiora sunt verbis. Vultus nempe convenitur, “tu” quidem, ubi divinus amor resilit atque “incohat possessionem, adiutorium secundum illum est et columna requiei” (*Eccli* 36,26), quemadmodum ait biblicus sapiens. Aut sicut Cantici Canticorum clamabit sponsa in mirabili quadam amoris declaratione mutuaeque donatione: “Dilectus meus mihi, et ego illi [...] Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi” (2,16; 6,3).

13. Ex hoc occurso qui solitudinem sanat generatio oritur et familia. Haec altera est particula quam collustrare possumus: Adam, qui vir est quoque omnium temporum omniumque orbis terrarum regionum, una cum uxore novam familiam generat, sicut adferens Genesim effatur Iesus: “Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una” (*Mt* 19,5; cfr *Gn* 2,24). Verbum “adhaerebit” apud primigeniam Hebraicam loquelam artam sibi vult coniunctionem, corporis animique adhaesionem, ita ut cum Deo ad coniunctionem significandam adhibeatur: “Adhaesit anima mea post te” (*Ps* 63,9), orans canit. Coniugale sic vinculum evocatur non modo quod ad sexus corporisque rationem attinet, verum etiam ad voluntariam amoris donationem. Huius coniunctionis fructus est “unam carnem fieri”, sive corporis complexu, sive duorum cordium vitarumque coniunctione atque, fortasse, filio qui a duobus oriatur, qui secum feret duas “carnes”, easdem genetice nectens ac spiritaliter.

Filii tui sicut novellae olivarum

14. Psalmistae cantum repetamus. In eo exstant domi ubi vir eiusque uxor ad mensam sedent, filii qui utrumque comitantur “sicut novellae olivarum” (*Ps* 128,3), scilicet vigore vique vitali repleti. Si parentes veluti fundamenta sunt domus, filii sicut vivi lapides sunt familiae (cfr *1 Pe* 2,5). Conspicuum quidem est in Vetere Testamento verbum post illud divinum (*Yhwh*, Dominum) frequentius exstare “filium” (*ben*), quod vocabulum Hebraicum verbum revocat “aedificandi” (*banah*). Quapropter Psalmus CXXVII filiorum donum extollit per imagines, tum domum aedificandam respicientes, tum socialem mercatoriamque vitam, quae apud urbis portam agebatur: “Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant, qui aedificant eam. [...] Ecce hereditas Domini filii, merces fructus ventris. Sicut sagittae in manu potentis, ita filii iuventutis. Beatus vir, qui implevit pharetram suam ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta” (vv. 1.3-5). Verum quidem est has imagines ad societatis antiquae cultum attinere, at filiorum praesentia utique est signum plenitudinis familiae in eadem continuata salutis historia, a progenie in progenies.

15. Hoc sub lumine alia familiae ratio locari potest. Scimus in Novo Testamento *domesticam ecclesiam* memorari (cfr *1 Cor* 16,19; *Rom* 16,5; *Col* 4,15; *Philm* 2). Vitalis familiae locus in domesticam ecclesiam, in Eucharistiae sedem, Christi praesentis, ad eandem mensam sedentis, converti poterat. Memoria tenetur scaena illa Apocalypsis: “Ecce sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam et aperuerit ianuam, introibo ad illum et cenabo cum illo, et ipse mecum” (3,20). Sic quaedam describitur domus quae intus Dei praesentiam, communem precationem ideoque Domini benedictionem habet. Quod Psalmo CXXVIII edicitur, quem veluti fundamentum sumpsimus: “Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion” (vv. 4-5).

16. Biblia familiam existimant sedem quoque catechesis filiorum. Hoc in paschalis celebrationis narratione elucet (cfr *Ex* 12,26-27; *Dt* 6,20-25), atque deinceps in *Haggadah* Iudaica est patefactum, id est in narratione, per dialogum facta, quae Paschalis cenae ritum comitatur. Immo

magis Psalmus familiarem fidei nuntium extollit: “Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis, non occultabimus a filiis eorum, generationi alteri narrantes laudes Domini et virtutes eius et mirabilia eius, quae fecit. Constituit testimonium in Iacob et legem posuit in Israel; quanta mandaverat patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filii, qui nascentur. Exurgent et narrabunt filiis suis” (78,3-6). Quapropter locus est familia ubi parentes primi suis filiis fiunt magistri fidei. Munus est “artificis”, a persona ad personam: “Cumque interrogaverit te filius [...] respondebis ei...” (Ex 13,14). Sic variae generationes canticum cantabunt Domino: “Iuvenes et virgines senes cum iunioribus” (Ps 148,12).

17. Parentes officio tenentur serio animo institutionis munus complendi, quemadmodum saepenumero Bibliorum sapientes docent (cfr *Prv* 3,11-12; 6,20-22; 13,1; 22,15; 23,13-14; 29,17). Ad recipiendum servandumque mandatum vocantur filii: “Honora patrem tuum et matrem tuam” (Ex 20,12), ubi verbum “honorare” familiaria socialiaque munia eorum in plenitudine exsequenda ostendit, minime iis neglectis ob excusationes religiosas (cfr *Mc* 7,11-13). Etenim, “qui honorat patrem, exorabit pro peccatis ... Et, sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam» (Eccli 3, 4-5).

18. Evangelium nobis commemorat filios haud esse familiae possessionem, sed suum ipsorum vitae tenere cursum. Si quidem verum est Iesum oboedientiae exemplar suis terrestribus parentibus, subditum illis, se exhibere (cfr *Lc* 2,51), certum etiam est Eum demonstrare filii selectam vitam ipsamque eius christianam vocationem quandam postulare posse separationem ut propria Dei Regno dicatio efficiatur (cfr *Mt* 10,34-37; *Lc* 9,59-62). Magis etiam, Ipse, duodecim annos natus, Mariae et Ioseph respondet se altius munus ultra historicam familiam exsequi debere (cfr *Lc* 2,48-50). Quocirca necessitatem aliorum altiorum vinculorum intra etiam familiares necessitudines extollit: “Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt” (*Lc* 8,21). Ceterum, in observandis parvulis – quos antiqui Orientis societas peculiarium iurium expertes ac familiaris possessionis partem considerabat – Iesus eo processit ut grandibus natu fere magistri suam propter simplicem puramque fiduciam erga alios ostenderentur: “Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum” (*Mt* 18,3-4).

Doloris sanguinisque semita

19. Delectamentum quod exhibet Psalmus CXXVIII amaritudines non denegat, quae Sacras Scripturas pervadunt. Adest dolor, malum, violentia, quae familiae vitam eiusque intimam vitae amorisque communionem distrahunt. Non immerito Christi de matrimonio (cfr *Mt* 19,3-9) sermo intra divortii disputationem reperitur. Dei Verbum hanc obscuram partem usque testatur, quae iam ab initio panditur, cum per peccatum amoris munditiaequae inter virum et feminam vinculum in dominium convertitur: “Ad virum tuum erit appetitus tuus, ipse autem dominabitur tui” (*Gn* 3,16).

20. Doloris sanguinisque est trames, qui per plures Bibliorum paginas decurrit, initium sumens a

violentia fratricidae Cain in Abel fratrem necnon a variis iurgiis inter filios et uxores patriarcharum Abraham, Isaac et Iacob, usque ad scelera, quae Davidis familiam sanguine repleverunt, usque ad crebras familiares difficultates quibus Tobiae narratio afficitur vel ad amaram deserti Iob confessionem: "Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. [...] Halitum meum exhorruit uxor mea, et fetui filiis uteri mei" (*Iob* 19,13.17).

21. Ex modica familia ipse Iesus prodit, quae mox in externa loca fugere debet. Ipse Petri domum ingreditur, ubi eius socrus morbo affligitur (cfr *Mc* 1,30-31); luctuoso casu mortis, qui Iairi ac Lazari domi accidit, commovetur (cfr *Mc* 5,22-24.35-43); coram filio mortuo clamorem Naim maerentis viduae audit (cfr *Lc* 7,11-15); filii comitali morbo correpti patris praeces in parvo rustico pago recipit (cfr *Mc* 9,17-27). Publicanos ut Matthaeum et Zachaeum eorum in domibus (cfr *Mt* 9,9-13; *Lc* 19,1-10) et etiam peccatores convenit, sicut mulierem quae domum pharisaei ingreditur (cfr *Lc* 7,36-50). Anxietates et familiarum contentiones cognoscit easque suas in parabolas concludit: cum de filiis qui domo discedunt, fortunae se permittentes (cfr *Lc* 15,11-32), tum de morosis filiis qui quaedam insolita patrant. (cfr *Mt* 21,28-31), tum de vi affectis (cfr *Mc* 12,1-9). Et de nuptiis etiam sollicitatur, quae periculum adeunt ne propter deficient vinum in angustis versentur (cfr *Io* 2,1-10) vel de latentibus invitatis (cfr. *Mt* 22,1-10), ac similiter de amisso nummo alicuius pauperis familiae novit aegritudinem (cfr *Lc* 15,8-10).

22. Brevi in hoc cursu animadvertere possumus Dei Verbum abstractorum argumentorum seriem haud demonstrari, sed itineris familiis quoque comitem, quae in discrimine versantur vel aliquo dolore vexantur, atque eis ostendit itineris metam, cum Deus "absterget omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt" (*Apc* 21,4).

Labor manuum tuarum

23. Psalmi CXXVIII in initio, pater ostenditur ut operarius, qui suarum manuum opere bonum corporis tueri potest nec non suae familiae tranquillitatem: "Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, et bene tibi erit" (v. 2). Ex primis etiam Bibliorum paginis eruitur opus partem esse dignitatis vitae hominum praecipuam, cum dicitur: "Tulit ergo Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso Eden, ut operaretur et custodiret illum" (*Gn* 2,15). Imago est operarii qui materiam commutat atque creati viribus utitur, "panem laboris" faciens, ac simul se ipsum colit.

24. Opere fieri potest eodem tempore societatis progressus, familiae victus ipsiusque etiam firmitas ac fecunditas: "videas bona Ierusalem omnibus diebus vitae tuae; et videas filios filiorum tuorum" (*Ps* 128,5-6). In Proverbiorum etiam libro matrisfamilias munus demonstratur, cuius cotidianum opus particulatim describitur, mariti filiorumque additis laudibus (cfr 31,10-31). Ipse Paulus apostolus gloriabatur quod viveret nullo aliis imposito onere, cum suis manibus operaretur, sibi victum parans (*Act* 18,3; *1 Cor* 4,12; 9-12). De necessitate operandi tam conscius erat, ut firmam suis communitatibus ferret normam: "Si quis non vult operari, nec manducet" (*2 Thess*

3,10; cfr *1 Thess* 4,11).

25. Ex quo dicto intellegitur opus deficiens et incertum opus in dolorem recidere, ut in parvo Ruth Libro significatur atque sicut in parabola operariorum memorat Iesus, qui in oppidi foro otiosi stant (cfr *Mt* 20,1-16) vel ut experitur Ipse, egenis et esurientibus saepenumero circumdatus. Quod compluribus in nationibus societas infeciliter experitur, atque haec operum inopia diversimode familiarum tranquillitatem afficit.

26. Ne oblivisci quidem possumus corruptionem quam in societatem inducit peccatum, cum homo in rerum natura ut tyrannus se gerit, eam vastans, eam cupide immo efferate adhibens.

Progrediente tempore soli vastitas futura est (cfr *Gn* 3,17-19) atque oeconomicae socialesque inaequalitates, adversus quas prophetarum clamor elate tollitur, ab Elia (cfr *1 Reg* 21) usque ad verba quae adversum iniusta protulit ipse Iesus (cfr *Lc* 12,13-21; 16,1-31).

Complexus amabilis

27. Ut suorum discipulorum signum praesertim amoris donationisque sui in alios legem statuit Christus (cfr *Mt* 22,39; *Io* 13,34), et id per principium fecit quod pater ac mater propria in existentia testificari solent: "Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis" (*Io* 15,13). Amoris fructus sunt etiam misericordia et venia. Hac in re singularis est scaena quae adulteram ostendit in Hierosolymitani templi planitie, ab accusatoribus circumdatam, ac deinceps solam cum Iesu, qui eam non damnat, at ad digniorem vitam eam hortatur (cfr *Io* 8,1-11).

28. Intra amoris orbem, qui praecipuus exstat in christiana matrimonii familiaeque experientia, alia etiam virtus eminet, quae his temporibus, celeribus levibusque necessitudinibus distinctis, fere negligitur: amabilitas. Psalmum CXXXI dulcem gravemque adeamus. Sicut aliis in scriptis quoque reperitur (cfr *Ex* 4,22; *Is* 49,15; *Ps* 27,10), fideli cum eius Domino coniunctio per indicia paterni maternive amoris significatur. Hic levis amabilisque consuetudo inducitur quae inter matrem et parvulum intercedit, infantem, qui ablactatus in suae matris brachiis cubat. Agitur – ut Hebraicum verbum *gamul* vult – de puero iam ablactato, qui conscius matrem arripit, eum in pectore ferentem. Prudens est utique consuetudo, non solummodo biologica. Quapropter psalmista canit: "Vere pacatam et quietam feci animam meam; sicut ablactatus in sinu matris suae" (*Ps* 131,2). Aliam pariter scaenam afferre possumus, ubi propheta Osee facit Deum, uti patrem, his moventibus verbis loquentem: "Cum puer esset Israel, dilexi eum [...] Ego dirigebam gressus Ephraim, portabam eos in brachiis meis [...]. In funiculis humanitatis trahebam eos, in vinculis caritatis; et fui eis, quasi qui elevant infantem ad maxillas suas, et declinavi ad eum, ut vesceretur" (11.1.3-4).

29. Hoc contuitu, qui fide amoreque, gratia studioque, humana familia divinaque Trinitate constituitur, familiam contemplamur quam Dei Verbum viri, mulieris ac filiorum manibus committit

ut personarum communionem conficiant, quae imago sit coniunctionis inter Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Generandi et instituendi opus replicata est imago vicissim creandi operis Patris. Familia ad cotidianam precationem, ad Dei Verbum legendum necnon ad eucharisticam communionem participandam vocatur, ut amor augeatur atque magis magisque ea templum fiat ubi Spiritus habitat.

30. Coram unaquaque familia adest Nazarethanae familiae imago, una cum iis quae cotidie geruntur per labores et immo etiam per oppressiones nocturnas, sicut cum inexplicabilem Herodis vim pati debuit, quod etiam hodie in tot familiis profugorum desertorum inermiumque iteratur. Sicut magi, ad Puerum Matremque contemplantam invitantur familiae, procidentes eumque adorantes (cfr *Mt* 2,11). Quemadmodum Mariae contigit, ad animose sereneque familiares provocationes, tristes laetasque, experiendas necnon ad custodienda et in corde Dei mirabilia meditanda ipsae concitantur (cfr *Lc* 2,19.51). In Mariae cordis thesauro omnes cuiusque nostrae familiae eventus reperiuntur, quos illa curiose servat. Quocirca in illis intepretandis nos iuvare potest, ut familiae in historia Dei nuntius agnoscatur.

CAPUT ALTERUM

FAMILIARUM CONDICIONES PROVOCATIONESQUE

31. Decretorium eventuro pro mundo Ecclesiaque est familiae bonum. Innumerae sunt factae inquisitiones, quae ad matrimonium familiasque, ad earum difficultates hodiernas ac provocationes attinent. Salubre est certis rebus vacare, quandoquidem “postulationes impulsionesque Spiritus in eventibus historiae animadvertuntur” per quas “Ecclesia altius perspicere valet inexhaustum mysterium matrimonii ac familiae”[8]. Minime hic praesumimus omnia suppeditare quae dici possunt de variis argumentis ad familias in hodiernis in rerum condicionibus attinentibus. Sed quoniam Patres synodales familiarum condiciones in toto terrarum orbe tractaverunt, aequum putamus quasdam eorum pastorales suasiones colligere, alias addentes sollicitudines quae ex Nostris considerationibus oriuntur.

Hodierna familiae condicio

32. “Christi doctrinae fideles observamus familiae condicionem, quae hodiernis temporibus per omnem eius complicationem manifestatur, cum lucem umbramque permisceat. [...] Anthropologica culturalisque commutatio omnes hodie vitae partes afficit quae singillatim ac diversimode vestigari debet”[9]. Intra varia decennia transacta, Hispanici Episcopi domesticum quiddam iam planum faciebant, amplioribus additis libertatis locis, “aequabiliter dispertitis officiis, responsalitate muneribusque. [...] Cum amplius adhibetur inter coniuges personarum communicatio, humanior fit totus familiaris convictus. [...] Neque societas in qua vivimus neque ea ad quam decurrimus sinunt ut indiscrete supersint species exemplariae quae transierunt”. [10] At “plane scimus quo tendant praecipuae commutationes anthropologicae culturalesque, quas

propter homines minus quam illi superiores socialibus structuris sua in vita familiari et affectionis sustinentur”^[11].

33. Ceterum “augescens periculum est considerandum individualismi immoderati, qui familiarium vinculorum naturam corrumpit atque unumquemque familiae participem veluti insulam considerat, necnon efficit ut praevaleat, quibusdam in casibus, cogitatio alicuius subiecti quod ad sua desiderata aedificatur, quae absolute considerantur”.^[12] “Contentiones quae per immodicam individualismi de possidendo gaudendoque culturam inducuntur intra familias motus gignunt impatientiae pugnacitatisque”^[13]. Hodiernam vivendi rationem, nervorum labores, societatis operisque ordinem addere velimus, quandoquidem haec culturae sunt elementa quae facultatem usque eligendi in discrimen adducunt. Eodem tempore dubii eventus reperiuntur. Exempli gratia, ad personam conformatio aestimatur quae sinceritatem potius quam praescriptos mores persequendos requirit. Aliquid est boni quod varias facultates liberamque voluntatem promovere potest, quod tamen, perverse directum, consuetudines constantis suspicionis, officiorum negligentiae, in commoditates conclusionis, insolentiae inducere potest. Eligendi libertas patitur ut propria vita futurum petat ac quod de se optimum sit colatur, sed si eximiis propositis personalique disciplina caret, usque eo degenerat ut liberaliter se donare nequeat. Reapse, compluribus in nationibus ubi matrimoniorum numerus imminuitur, personarum augescit numerus, quae solae vivunt, vel convivunt, at non una simul habitant. Iustitiae etiam probabilem sensum in bono lumine collocare possumus; sed, si perperam intellectus, ille cives in clientes immutat qui ministeria praestanda sollummodo sibi vindicant.

34. Si pericula haec in rationem transeunt familiae intellegendae, haec in transitus locum evadere potest, qui aditur cum est conveniens, vel quo tenditur cum quis iura sibi vindicat, dum vincula incertis vanisque desideriis rerumque adiunctis traduntur. In summa, hodie sincera libertas facile pervertitur, eo quod quisque suo Marte iudicat, perinde ac si ultra singulas personas veritas, bona, principia absint quae nos dirigant, proinde ac si omnia sint aequalia ac quidvis concedi debeat. In iis rerum adiunctis, matrimonii exemplar, una cum singularitatis firmitatisque officio, fortuitis commoditatibus vel sensuum cupiditatibus deletur. Solitudo timetur, tutelae fidelitatisque locus desideratur, sed eadem opera timor crescit ne vinculo quis ligetur quod propria explenda optata procrastinet.

35. Ut christiani facere non possumus quin matrimonium suadeamus, ut iis sensibus qui hodie putantur ne officiatur, ut consuetudo obsecundetur, vel ob inferioris gradus perceptionem prae morali humanoque detrimento. Bona de mundo detraheremus, quae praebere possumus ac debemus. Procul dubio, minime iuvat artificiose hodierna mala arguere, proinde quasi nonnihil immutare per id possimus. Neque iuvat normas imperiose ferre. Officiosior liberaliorque a nobis requiritur conatus, unde rationes et causae exhibeantur ad matrimonium familiamque optandam, ita ut personae gratiae a Deo sibi oblatae propensius respondeant.

36. Eodem tempore humiles esse debemus rebusque nitentes, ut agnoscamus nostras rationes

christiana principia exhibendi ac personas tractandi nonnumquam effecisse ut id oriretur de quo hodie conquerimur, ideo nos manet, ut nosmet ipsos salubriter obiurgemus. Ceterum saepenumero matrimonium ita exhibuimus ut eius coniunctionis propositum, invitatio ad amorem augendum atque mutui adiumenti exemplar latuerunt ob unam quasi mentionem de procreationis officio. Neque novensiles coniuges, primos annos una simul exigentes, congruenter sumus comitati, quaedam praebentes, eorum horis, loquelis, certioribus sollicitudinibus accommodata. Nonnumquam theologicum matrimonii exemplar demonstravimus nimis abstractum, quasi artificiose confectum, quod longe abest a certa condicione necnon a certis familiarum, quae re sunt, facultatibus. Haec nimis excelsa interpretatio, in primis cum gratiae fiduciam non concitavimus, haud effecit ut matrimonium desiderabilius sit et gratius, sed utique non est ita.

37. Perdiu putavimus cum in doctrinae, bioethicae morumque quaestionibus solum instarem, haud rationem afferentes gratiae auscultandae, sufficienter nos familias sustinuisse, inter coniuges vincula solidasse eorumque communem vitam sensu complevisse. Difficultates reperimus cum matrimonium magis exhibere debemus ut dynamicum incrementi perfectionisque iter quam onus totam per vitam ferendum. Cunctamur etiam locum dare fidelium conscientiae, qui pluries, quod melius possunt, Evangelio suis pro limitibus respondent atque personalem suam discretionem agere possunt prae condicionibus in quibus omnes descriptiones dissolvuntur. Ad conscientias fingendas vocamur, non easdem ad commutandas.

38. Grates debemus agere quod maior populi pars familiaria vincula magni facit quae progrediente tempore manere volunt quaeque mutuam observantiam roborant. Quapropter pluris aestimatur quod praebet loca Ecclesia, ad comitandas sustinendasque quaestiones, quae cum amoris incremento, contentionibus superandis filiisque instituendis nectuntur. Complures gratiae vim aestimant quam in sacramentali Reconciliatione et Eucharistia experiuntur, quaeque sinit ut matrimonii ac familiae variis rebus lacessitae subveniatur. Quibusdam in nationibus, nominatim in variis Africae partibus, saeculares mores quaedam translaticia bona haud hebetare potuerunt atque in unoquoque matrimonio magna fit coniunctio duas inter magnas familias, ubi contentionum difficultatumque moderandarum perquam definita ratio usque servatur. In mundo hodierno coniugum testificatio quoque aestimatur, qui non modo annorum decursu perseverarunt, sed commune continuatumque propositum persequuntur atque animi affectionem servant. Istud efficit ut efficax, recipiens pastoralis actio praebatur, unde gradatim Evangelii postulata altius vestigari possint. Attamen saepe ratione defensionis usi sumus et pastorales vires dissipamus, mundum corruptum multipliciter aggredientes, ac pauca proponentes ad felicitatis semitas demonstrandas. Multi non intellegunt Ecclesiae de matrimonio familiaeque nuntium palam ex praedicatione moribusque lesu excipi, qui pariter severum exemplar praebat et numquam miserentem proximitatem amittebat personarum debilium, ut Samaritanae vel mulieris adulterae.

39. Hoc non vult culturae corruptelam ignorare, quae amori studioque non favet. Duarum novissimarum Synodorum praeviae interrogationes varia "temporarii culturae" indicia patefecerunt. Animum exempli gratia convertimus ad celeritatem, qua ab uno ad alterum affectionis vinculum

transitur. Putant amorem, sicut in socialibus virtualibusque implicationibus, consumptoris libitu necti solvique posse vel etiam celeriter sisti. De metu etiam cogitamus quem concitat continuati officii prospectus, de nimio otii studio, de vinculis, in acceptum et expensum referendis, quae tantummodo servantur si per ea solitudini subveniatur, tutela vel servitium quoddam habeantur. Ad animi affectiones transfertur quod in objectis ambituque accidit: omnia reici possunt, unusquisque utitur et abicit, profundit ac rumpit, abutitur et exprimit usque dum servit. Postea valedicit. Narcisianum vitium efficit ut personae ultra se ipsas, propria desiderata ac necessitates cernere non valeant. At qui aliis utitur serius ociosius eadem ratione adhibetur, temperatur ac relinquitur. Nota est dignum quod inter adulta aetate personas vincula crebro solvuntur, quae quandam “autonomiam” requirunt et cogitationem reiciunt una senescendi, cum alter alterum curat ac sustinet.

40. “Licet periculum sit ne ad nugas rem redigamus, dicere possumus in cultura quadam nos versari, quae multos iuvenes impedit quominus familiam constituent, quia in futurum non suppetunt facultates. Sed eadem cultura multis aliis, ex contrario, tot opportunitates praebet sic exhibet ut ipsi quoque a familia constituenda arceantur”^[14]. Quibusdam in nationibus complures iuvenes “saepe ad nuptias differendas propter causas oeconomicas, operis vel studii inducuntur. Interdum etiam alias ob rationes, quae sunt ideologiae impellentes quae matrimonium familiamque extenuant, irrita aliorum coniugum experientia, quam ipsi pereclitari nolunt, timor de quodam nimis magno sacroque considerato, sociales opportunitates atque oeconomicam emolumenta quae ex convictu oriuntur, opinio mere lenis amoeniaeque de amore, metus libertatem autonomiamque amittendi, repudiatio illius quod ad institutiones ac graphocratiam pertinere consideratur”^[15]. Oportet verba, rationes ac testimonia inveniamus quae nos adiuvent ad iuvenum intima attingenda praecordiorum, ubi plus impertitur liberalitatis, officii, amoris et magnanimitatis quoque, eos invitantes ut studiose animoseque recipiant quod matrimonium poscit.

41. Patres synodales hodiernum denuntiarunt “culturae cursum, qui affectionem sine finibus inferre videtur, [...] affectionem nempe quandam Narcisianam, infirmam et mobilem quae operam non semper praestat ut homines maiorem maturitatem obtineant”. Sollicitantur profecto “de admodum lata pornographia et corporis mercatura, quas amplificavit depravatus interretis usus” atque “de illarum personarum condicione, quae ad prostitutionem agendam coguntur”. His in rerum adiunctis, “coniuges interdum nutant, haerent atque in reperiendis modis adolescendi laborant. Complures sunt qui in primis gradibus animi commotionum sexusque vitae sistant. Coniugum discrimen familiam concutit atque per discidia ac divortia multum mali in adultos, filios societatemque inferre potest, personam debilitans et socialia vincula”^[16]. Coniugum discrimina plerumque tractantur “cursim et absque studio patientiae, sinceri dialogi, mutuae veniae, reconciliationis et etiam sacrificii. Coniugii ruina, sic nova vincula, novos coniuges, novas coniunctiones et nova matrimonia inducit, implicatas efficiens familiares condiciones et christianae vitae eligendae difficiles”^[17].

42. “Natorum etiam imminutio, quae ex opinione procreationi infensa oritur quaeque politicis

mundi actionibus de generationum salute promovetur, non modo condiciones ferunt, in quibus generationum vices non servantur, sed periculum adit ne progrediente tempore ad oeconomicum detrimentum perveniatur necnon ad spei futuri amissionem. Biotechnologiarum quoque progressus multum ponderis habuit apud natorum numerum”.^[18] Quaedam alia addi possunt ut “machinalis industriae inductio, sexuales commutationes, nimiae densitatis demographicae metus, oeconomicae difficultates [...]. Rerum consumendarum societas personas quoque a filiis pariendis avertere potest, etiam tantummodo ad earum libertatem servandam ac vivendi rationem”^[19]. Verum est rectam coniugum conscientiam, cum in vita transmittenda perquam liberales fuerunt, eosdem dirigere posse ad numerum filiorum generandorum propter causas admodum graves finiendum, sed semper “ob conscientiae dignitatis amorem Ecclesia omnibus viribus Statum cogentem reicit, qui fovet atocium, sterilitatis inductionem, immo vel abortum”^[20]. Hae normae etiam in locis, in quibus complures nascuntur, recipi non possunt, sed est animadvertendum huic rei favere politicos viros in nonnullis nationibus quoque quae natorum penuriam miserabiliter experiuntur. Quemadmodum Coreani Episcopi edixerunt, hoc est “contradictorie agere et proprium officium negligere”^[21].

43. Fides ac religiosus usus quibusdam in societatibus hebetatus familias afficiunt quae suis in ipsarum difficultatibus solae relinquuntur. Patres argumentantur “unam ex maximis paupertatibus hodiernae culturae esse solitudinem, quae ex Dei absentia oritur in personarum vita atque vinculorum ex debilitate. Adest etiam generalis imbecillitatis sensus ante sociales oeconomicas res, familias crebro oppressuras. [...] Saepe se deserere animadvertunt familiae, quippe quas haud sustineant et parum curent institutiones. Apud socialem ordinem mala consecutaria patent: quae procedunt a discrimine demographico ad difficultatem institutionis, a labore vitam nascentem recipiendi ad senes tamquam pondus susceptos, usque ad animi affectionis incommoditatem, in vim interdum casuram. Est Status legum operisque condiciones ferre ut futurum iuvenibus praestetur ipsique iuventur ad adimplendum suum propositum familiam condendi”.^[22]

44. Quod dignum et aequum desit domicilium efficere saepe solet ut vinculum stabiliendum procrastinetur. Recordari oportet “familiam ius habere congrui domicilii, ad familiae vitam accommodati et membrorum numero apti, in loco quodam salubri ubi praecipua sint ministeria ad familiae communitatisque vitam agendam”.^[23] Familia et domus duae sunt res quae mutuo iunguntur. Exemplum hoc ostendit nos instare debemus familiae iuribus, non modo personarum iuribus. Familia bonum est a quo societas abstrahi non potest, sed eam tueri debemus.^[24] Horum iurium tutela “effatum est propheticum pro familiari institutione, quae observari debet atque omnibus occupationibus arceri”,^[25] potissimum in hodiernis rerum adiunctis, ubi inter politica incepta parum obtinet loci. Familiae, inter cetera, iura sibi vindicant “congrua pro familia politica actione fruendi ex publicis potestatibus in iuridica, oeconomica, sociali fiscalique provincia”.^[26] Nonnumquam acerrimae sunt familiarum angustiae, cum, quadam dilecta persona aegrotante, ad congrua sanitatis subsidia accedere non possunt, vel cum producitur tempus et dignum non obtinetur opus. “Oeconomicae difficultates ab institutione, a culturali socialique vita agenda familias prohibent. Hodierna oeconomica condicio diversimode a societate abducit. Familiae de

opere reperiendo peculiarem in modum laborant. Paucae sunt iuvenum occasiones et opus per selectionem et ad tempus maxime praebetur. Longe operis dies producuntur et saepenumero longis itineribus gravantur. Quod familiares non adiuvat ad conveniendum inter se et cum filiis, ita ut necessitudines cotidie colantur”.[\[27\]](#)

45. “Multi sunt parvuli qui extra matrimonium nascuntur, quibusdam potissimum in nationibus, et multi qui postea adolescent cum uno tantummodo parente vel in quadam familia amplificata vel restituta. [...] Sexualis porro abusus parvulorum una est ex flagitiosissimis perversissimisque rebus praesentis societatis. Societates etiam vi pervasae propter bellum, terrores vel adstantes latrones consociatos, experiuntur condiciones familiares vitiatas atque praesertim in maximis frequentissimisque urbibus et earum in suburbiis illud adolescit quod pueri viarii vocatur”.[\[28\]](#) Sexualis tamen abusus parvulorum flagitiosior fit cum in locis evenit ubi ipsi protegi debent, cum primis in familiis, scholis et communitatibus et christianis institutionibus.[\[29\]](#)

46. Migrationes “aliud temporum signum ostendunt quae suscipi et comprehendi debent una cum omnibus vitae familiaris oneribus”.[\[30\]](#) Novissima Synodus huic quaestioni magnum pondus tribuit, cum diceret eam “diversimode integros populos in variis orbis terrarum partibus contingere. Hac in provincia primas partes egit Ecclesia. Necessitas hanc testificationem evangelicam servandi ac promovendi (cfr *Mt 25,35*) hodie perquam instans videtur [...] Hominum mobilitas, quae naturalem populorum historicum motum complectitur, verae divitiae fieri potest tum emigranti familiae tum recipienti eam nationi. Aliud est coacta familiarum migratio, quae ex praesenti bello, persecutionibus, pauperate, iniustitia oritur, quaeque itineris vicissitudinibus notatur, quod in periculum saepe vitam proicit, personas ferit familiasque subvertit. Migrantium praesidium peculiarem rem pastorem postulat, tum in familias migrantes conversam, tum in familiarum membra, quae in primigeniis locis manent. Id agi debet, dum observantur eorum culturae, religiosa humanaque avita institutio, aequae ac spiritalis divitiae eorum rituum ac traditionum, etiam per peculiarem pastorem curam. [...] Migrationum experientiae perdifficiles videntur et familiis personisque perniciosae, cum praeter leges fiunt atque per internationales circumitus sustinentur, homines mercantes. Idem de mulieribus parvulisve non comitatis dici potest, qui diuturne in transitu locis, in receptoriiis profugorum campis commorari debent, ubi convictus cursus incipi non potest. Summa paupertas aliaeque dissolutionis condiciones efficiunt interdum ut familiae vel etiam suos filios prostitutionis aut membrorum mercandorum causa vendant”.[\[31\]](#) “Quas christiani aequae ac minores partes allophylae religiosaeque persecutiones patiuntur, compluribus in terrarum orbis locis, praesertim penes Medium Orientem, graves ii sunt casus, non modo quod ad Ecclesiam attinet, sed etiam ad totam internationalem communitatem. Omnibus viribus est nitendum ut familiae et christianae communitates in primigeniis suis locis ad manendum iuventur”.[\[32\]](#)

47. Patres potissimum animum intenderunt quoque “in familias personarum inhabilium, quarum impedimenta, vitam occupantia, aliquid admodum laboriosi inopinatique afferunt, atque aequabilitates, desideria et exspecationes pervertunt. [...] Magni sunt aestimandae familiae quae

inhabilem filium eiusque laboriosam incommoditatem amabiliter suscipiunt. Ecclesiae societatique insignem vitae donationis tuendae dant ipsae testificationem. Familia una cum christiana communitate novos actus loquelasque, comprehensionis identitatisque species detegere potest, dum procedit suscipiens et curans debilitatis mysterium. Inhabiles personae familiae sunt donum et opportunitas in amore, mutuo adiumento unitateque adolescendi. [...] Familia, quae fidei intuitu adesse personas inhabiles admittit, agnoscere qualitatem et cuiusque vitae bonum praestare potest, additis eius necessitatibus, eius iuribus eiusque opportunitatibus. Operam ipsa dabit ut ministeria et curae praestentur atque consuetudo et affectio in omni vitae gradu promoveantur”.^[33] Confirmare volumus cum de migrantibus tum de personis inhabilibus sollicitudo signum esse Spiritus. Etenim utraque condicio ad exemplar monstratur: via in primis temptatur qua hodie misericordis receptionis et personarum debilium integrandarum ratio tenetur.

48. “Maior familiarum pars senes observat, eosdem affectione afficit ac benedictionem considerat. Peculiaris laus consociationibus ac familiarum motibus est tribuenda, qui senibus spiritualiter ac socialiter colendis operam dant. [...] In societatibus quaestuosa industria potentibus, ubi eorum numerus crescit, dum natorum decrescit, periculum est ne ipsi pondus habeantur. Ceterum curationes quas ii requirunt saepe necessarios magnopere fatigant”.^[34] “Finientis vitae aestimatio eo magis est hodie necessaria quo magis omnimode transitus momentum amovetur. Quod debilis est et alicui obnoxius senex hac re inique interdum quidam abutuntur ad oeconomicum emolumentum obtinendum. Plures familiae nos docent novissimum vitae cursum compleri posse per exitus sensum extollendum necnon per cunctam existentiam paschali mysterio implicandam. Complures senes in Ecclesiae instituta recipiuntur, ubi sereno familiarique in loco materialiter ac spiritualiter vivere possunt. Euthanasia et voluntaria adiuvataque mors graviter familias in toto terrarum orbe minantur. Compluribus in statibus eae iure admittuntur. Ecclesia, dum his agendi consuetudinibus firmiter aversatur, animadvertit esse suum familias iuvare quae proprios senes aegrosque curant”.^[35]

49. Palam volumus ostendere familiarum condiciones, quae egestate opprimuntur quaeque multis modis praepediuntur, cum vitae limites miserandum in modum experiuntur. Si quidem omnes difficultatibus adfliguntur, hae in quadam pauperrima domo laboriosiores fiunt.^[36] Exempli gratia, si mulier quaedam sola suum filium alere debet, ob seiunctionem aliasve ob causas, atque operari debet absque facultate ad aliae personae eum committendi, ille adolescit desertus, omnis generis periculis obnoxius, atque eius personalis proventus in discrimine versatur. In difficilibus condicionibus, in quibus indigentiores personae versantur, Ecclesiae peculiaris cura est adhibenda ad comprehendendum, consolandum, complendum, quae vitet quominus normarum series eis imponatur quasi sint petrae, quia ita fit ut per eas se iudicari sentiant et deseri ab ipsa utique Matre, quae ad Dei misericordiam eis partiendam vocatur. Tali modo potius vim gratiae sanantem Evangeliiique lumen quam praebeant, nonnulli Evangelium “erudire” volunt, ipsum immutantes in “mortuas petras adversum alios iaciendas”.^[37]

Quaedam provocationes

50. Responsiones ex duobus quaestionibus receptae, quae progrediente synodo missae sunt, perquam diversas condiciones patefecerunt, novas prae se ferentes provocationes. Inter iam memoratas, multi institutionis agenda mentionem fecerunt, quae in difficultate versatur, quoniam praeter alia fatigati domum redeunt parentes et loqui nolunt; compluribus in familiis ne consuetudo quidem viget una edendi, atque innumerae variaeque oblatae avocationes augescunt, praeterquam quod televisio imperat, ut exemplum aliquod supponamus. Propter hoc a parentibus ad filios difficulter transfertur fides. Alii rettulerunt familias summopere anxietate saepe laborare. Magis de quaestionibus futuris sollicitari videntur quam de praesentibus rebus communicandis. Istud, quod culturale est quiddam, gravius fit propter incertum futurum opus obtinendum, oeconomicam incertitudinem vel metum futurae sortis filiorum.

51. Medicamentis stupefactivis obnoxietatis etiam mentio est facta, quae nostrae aetatatis inter plagas adscribitur, per quam multae familiae patiuntur itemque haud raro tandem delentur. Aliquid simile alcoholismo, ludis aliisque laqueis accidit. Cautionis bonarumque regularum potest esse locus familia, sed societas ac res politica non intellegunt familiam in discrimine versantem “facultem amittere agendi ad sua membra iuvanda. [...] Gravia consecraria conspiciamus huius fractionis in deletis familiis, filiis eradicatis, senibus desertis, parvulis vivis parentibus orbatis, adolescentibus iuvenibusque errantibus et sine regulis grassantibus”.^[38] Sicut Mexicani Episcopi dixerunt, tristes adstant familiaris violentiae condiciones, ubi aptum reperiunt locum novae species socialis aggressionis, quandoquidem “familiares necessitudines proclivitatem in violentam indolem etiam patefaciunt. Familiae quae hoc modo operantur eae sunt quae non communicant; eae in quibus rationes praestant defensionis et quarum membra inter se non sustinentur; in quibus non sunt familiaria incepta quae participationi faveant; in quibus inter parentes necessitudines sunt discordes saepe et violentae, et inter parentes et filios hostilem in modum exprimuntur. Intra familiam violentia schola est rancoris odiique in praecipuis hominum necessitudinibus”^[39].

52. Cogitare nemo potest familiam debilitatam, cum naturalis sit societas supra matrimonium fundata, iuvare posse societatem. Contra accidit: in discrimen adducit personas adolescendas, communia bona curanda necnon mores provehendos urbium vicorumque. Attamen liquido iam non animadvertitur solummodo unam indissolubilemque coniunctionem inter virum et feminam sociale munus plane exsequi, cum stabile sit officium et fecunditatem ferre possit. Magna familiarium condicionum varietas est agnoscenda quae quandam vitae regulam praebere possunt, sed ex convictu coniunctiones vel eiusdem sexus inter personas, exempli gratia, matrimonio assimilari leviter non possunt. Nullum vinculum infirmum vel vitae communicandae infensum posteritatem praestat societati. At quis hodie operam dat coniugibus sustinendis iisque iuvandis ut discrimina iis imminetia superentur utque in institutionis officiis fulciantur atque coniugalis coniunctionis firmitas roboretur?

53. “Quibusdam in societatibus polygamia hucusque viget; aliis in locis pacta coniugia manent. [...] Multis in locis, non modo occidentalibus, consuetudo magis in dies invalescit convivendi, quae matrimonium antecedit vel etiam quae in quoddam institutionale vinculum sumendum haud

propendet”[40]. Diversis in nationibus complures optiones eligendas praebent leges, ita ut matrimonium, quod exclusivitatem, indissolubilitatem et ad vitam aditum secum fert, multas inter ceteras obsoleta videatur denique optio. Multis in nationibus iuridica familiae destitutio progreditur quae formas adhibere vult, quae in exemplari fere solum voluntatis autonomiae nituntur. Quamvis legitimum aequumque sit ut familiae “translaticiae” veteres species respuantur, quae nimia auctoritate, quin etiam violentia notantur, istud ad matrimonium spernendum adducere non debet, sed ad eius veram significationem renovationemque rursus detegendam. Familiae vis “in eius facultate potissimum insidet amandi et amare docendi. Quantum sauciata sit familia, amore fulta ipsa semper crescere potest”.[41]

54. Hanc rem breviter contuentes, planum facere volumus, licet mulierum iura magnopere sint elata eiusque publicorum negotiorum participatio, quibusdam tamen in nationibus multum incrementi adhuc desiderari. Improbabiles mores nondum sunt radicitus detracti. Prae omnibus flagitiosa violentia, quae mulieribus nonnumquam adhibetur, familiares vexationes et variae servitutis species quae maris vim demonstrandam haud secum ferunt, sed vile dedecus. Verborum, corporis sexusque violentia quae mulieribus adhibetur quibusdam in matrimoniis ab ipsa natura coniugalis vinculi dissidet. Cogitamus de mulieris genitalibus quibusdam in culturis turpiter praecisis, sed etiam de inaequalitate dignorum operum obtinendorum ac locorum item ubi consilia capiuntur. Semitas immoderatarum culturarum describit historia, morum maiorum ad instar, ubi secundas partes obtinebat mulier, sed memoramus etiam “uteri conducti” usum vel “ad instrumentum ac mercem femineum corpus penes hodiernam communicationis culturam redactum”.[42] Sunt qui censeant complures hodiernas difficultates a muliere ab auctoritate liberata oriri. Sed inane est hoc argumentum, “falsum est, verum non est. Species est haec masculini principatus”.[43] Eadem viri ac feminae dignitas efficit ut laetemur vetustas disparitates superari atque intra familias mutui subsidii morem augeri. Si feminarum nimiae amplificationis species oriuntur, quas aequas iudicare non possumus, miramur simul Spiritus operam in dignitate feminae ipsiusque iuribus liquidius agnoscendis.

55. Vir “decretorium item in familiae vita obtinet locum, potissimum quod ad uxorem filiosque tuendos ac sustinendos attinet. [...] Multi viri sibi sunt conscii suo de magni ponderis officio intra familiam, quod peculiaribus virilis indolis qualitatibus exercent. Si pater abest, familiaris vita, filiorum institutio eorumque in societatem introductio graviter afficiuntur. Eius absentia ad corpus, affectionem, cognitionem ac spiritualitatem spectare potest. Si abest, filii aequo exemplari paterni moris privantur”.[44]

56. Alia provocatio ex variis speciebus cuiusdam ideologiae oritur, quae vulgo Anglico sermone *gender* vocata “negat quaedam ex natura differre et inter marem et feminam inesse reciprocationem. Societatem ipsa exhibet in qua sexus nihil inter se differunt, atque anthropologicum familiae fundamentum exinanitur. Ideologia haec educationis consilia et legum indicia secum fert, ubi personalis identitas animique intima affectio promoventur quae a biologica diversitate inter virum et feminam radicitus abstrahuntur. Humana identitas individui optioni

committitur, quae progrediente tempore etiam mutatur”[45]. Est calamitosum nonnullas huius generis ideologias, quae quibusdam optatis, quae interdum intellegi possunt, occurrere student, praevalere niti, quasi unica sit cogitatio, quae vel parvulorum institutionem afficere valeat. Ignorari non debet “biologicum sexum (Anglice *sex*) et sociale culturale officium sexus (Anglice *gender*) discerni posse, at non seiungi”. [46] Ceterum “biotechnologica commutatio in humanae procreationis provincia copiam dedit generationis actum tractandi, eundemque a sexuali inter virum et feminam vinculo abstrahendi. Hoc modo, humana vita et patris matrisque munus res factae sunt, quae componi et dissolvi possunt, singulorum vel amborum coniugum desideriis plerumque obnoxiae”. [47] Aliud est humanam infirmitatem vel vitae complicationem intellegere, aliud est ideologias recipere quae in duas partes res inseparabiles dividere volunt. Ne in peccatum incidamus locum Creatoris praesumptorie occupandi. Creaturae sumus, non sumus omnipotentes. Creatum nos antecedit idque tamquam donum recipi debet. Eodem tempore ad nostram custodiendam humanitatem vocamur, et id vult ut cumprimis eam accipiamus eamque ut creata est tueamur.

57. Gratias Deo agimus quod complures familiae, quae licet a perfecto statu longe absint, in amore vivunt, propriam vocationem perficiunt et procedunt quamvis pluries itinerantes procident. A cogitationibus synodalibus initio sumpto, familiae non manet exemplaris stereotypus, sed musivum quoddam opus percontativum, tot diversis rebus constitutum, quae gaudiis, casibus somniisque replentur. Res quae nos sollicitant sunt provocationes. Ne nos in laqueos induamus, languentes propter nostrae defensionis lamenta, potius quam missionalem creationis vim concitemus. Omnibus in rerum adiunctis “necessitatem percipit Ecclesia veritatis speique verbum pronuntiandi. [...] Eximia matrimonii ac familiae christianae bona inquisitioni congruunt, quae humanam existentiam perfundit”. [48] Si multas adesse difficultates cernimus, ipsae – quomodo Columbiae Episcopi autumarunt – invitant “ex nobis ad eliciendas spei vires, quae in prophetica somnia, commutationis actiones, et caritatem fingendam convertantur”. [49]

CAPUT TERTIUM

IN IESUM INTUITUS: FAMILIAE VOCATIO

58. Coram familiis et intra illas, primus nuntius semper personare debet, qui est “pulcherrimus, summus, blandissimus est eodemque tempore maxime necessarius”[50], atque “evangelizationis operis medium occupare debet locum”. [51] Princeps est nuntius, “qui subinde est diversimode auscultandus quique alia atque alia ratione est rursus nuntiandus”. [52] Quandoquidem “nihil est tali nuntio solidius, altius, securius, firmius et prudentius” et “omnis christiana institutio in primis est *kerygmatis* pervestigatio”[53].

59. Nostra de matrimonio familiaeque doctrina non potest non referri et informari sub huius nuntii amoris et lenitatis lumine, ne fiat frigidae et vitae expertis doctrinae mera defensio. Nam ne intellegi quidem plane potest familiae christianae mysterium nisi sub infiniti Patris amoris lumine,

qui in Christo est manifestatus, qui usque in finem se tradidit quique inter nos vivit. Itaque Christum viventem contemplari, qui in tot amoris narrationibus adest, atque in omnes terrarum orbis familias Spiritus ignem invocare cupimus.

60. Hoc in rerum ordine, hoc breve caput summatim Ecclesiae de matrimonio familiaque doctrinam contrahit. Etiam hac de re afferemus complura documenta a synodalibus Patribus in eorum considerationibus exhibita sub luce quam praebet fides. Iesum intuentes ipsi sumpserunt initium atque ostenderunt illum mulieres et viros amabiliter ac tenere contuitum esse, ipsorum gressus veritate, patientia ac misericordia comitantem, cum Regni Dei postulata nuntiaret.^[54] Eodem modo nos hodie, nostrum officium sustinentes, comitatur Dominus ad vivendum ac transmittendum familiae Evangelium.

Divinum consilium a Iesu recuperatum et completum

61. Coram iis qui matrimonium prohibebant, Novum Testamentum docet: "Omnis creatura Dei bona, et nihil reiciendum" (1 Tim 4,4). Matrimonium est "donum" Domini (cfr 1 Cor 7,7). Eadem opera propter felicem talem ponderationem, magnopere extollitur huius divini doni cura: "Honorabile conubium in omnibus et torus immaculatus" (Heb 13,4). Hoc Dei donum sexualitatem secum fert: "Nolite fraudare invicem" (1 Cor 7,5).

62. Patres synodales memorarunt Iesum, "cum primigenii consilii de viro ac muliere mentionem faceret, indissolubile vinculum inter eos confirmasse, licet diceret: "Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non sic fuit" (Mt 19,8). Matrimonii indissolubilitas - "Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet" (Mt 19,6) - non est utique "iugum" putanda, quod hominibus imponitur, sed "donum" personis traditum in matrimonio iugatis. [...] Divina benignitas humanum iter usque comitatur, sanat et induratum cor gratia sua commutat, idem ad eius principium dirigens, per crucis viam. In Evangeliiis luculenter Iesu exemplum fulget, qui [...] nuntium praedicavit ad matrimonii significationem attinentem, uti revelationis plenitudinis quae primigenium Dei consilium recuperat (cfr Mt 19,3)".^[55]

63. "Iesus, qui omnia in se reconciliavit, ad primigeniam indolem matrimonium ac familiam reduxit (cfr Mc 10,1-12). Familia matrimoniumque a Christo sunt redempta (cfr Eph 5,21-32), ad Sanctissimae Trinitatis imaginem restituta, a quo mysterio omnis verus amor manat. Sponsale foedus, in creatione inauguratum et in salutis historia item revelatum, in Christo eiusque Ecclesia plenam suae significationis recipit revelationem. A Christo per Ecclesiam matrimonium et familia necessariam gratiam suscipiunt ad Dei amorem testandum et ad vitam in communione agendam. Familiae Evangelium terrarum orbis historiam decurrit inde ab homine creato ad imaginem et similitudinem Dei (cfr Gn 1,26-27) usque ad Foederis mysterium in Christo complendum in fine saeculorum per Agni nuptias (cfr Apc 19,9)".^[56]

64. "Insigne est Ecclesiae Iesu exemplum. [...] Ipse in Cana signo suam incohavit publicam vitam,

in nuptiarum convivio facto (cfr *Io* 2,1-11). Quaedam amicitiae cotidiana momenta cum Lazari familia sororibusque communicavit (cfr *Lc* 10,38) necnon cum Petri familia (cfr *Mt* 8,14). Parentes flentes filios exaudivit, eosdem revocans ad vitam (cfr *Mc* 5,41; *Lc* 7-14-15), sic item verum manifestans misericordiae sensum, quae secum fert Foedus restitutum (cfr Ioannes Paulus II, *Dives in misericordia*, 4). Id prorsus perspicuum est conventa muliere Samaritana (cfr *Io* 4,1-30) et adultera (cfr *Io* 8,1-11), coram Iesu gratuito amore cum peccati perceptio concitatur”.^[57]

65. Quod Verbum in humana quadam familia fit caro, Nazareth, id suam propter novitatem mundi historiam commovet. Necesse habemus ut Iesu nati, Mariae nuntianti angelo assentientis in mysterium mergamur, cum Verbum eius in utero conceptum est; etiam in mysterium Ioseph consentientis, qui nomen Iesu indidit quique Mariae sustinendae in se recepit officium; idem de pastorum apud praesaepe iubilo; de Magorum adoratione; de fuga in Aegyptum, in qua dolorem communicat Iesus sui populi exsilium, persecutionem et contumelias patientis; de religiosa expectatione Zachariae atque de gaudio propter Ioannem Baptistam natum; de promisso Simeoni et Annae in templo adimpleto; de admiratione legis doctorum doctrinam auscultantium Iesu adolescentis. Et triginta porro sunt longi conspiciendi anni, quibus suis manibus operando victum Iesus quaeritabat, preces dicendo et piam traditionem sui populi sectando seque in maiorum fide instituendo, usque dum fructus in Regni mysterio gigneret. Istud est Nativitatis Domini mysterium et Nazareth arcanum, familiae fragrantia repletum. Mysterium est quod summopere illexit Franciscum Assisiensem, Teresiam a Iesu Infante et Carolum de Foucauld, ad quod sitientes etiam christianae familiae accedunt, suam spem laetitiamque redintegraturae.

66. “Amoris fidelitatisque foedus, in quo vivit Nazarethana Sancta Familia, principium collustrat quod unamquamque familiam informat, eamque habilem reddit ad vitae vicibus historiaeque aptius subveniendum. Hoc fundamento fulata, quaeque familia, quamvis infirma, in mundi caligine lux fieri potest. “Domesticam hic praeterea vivendi percipimus rationem. Nos sane Nazareth admoneat, quid sit familia, quid eius communio dilectionis, eius gravis ac nitida pulchritudo, sacra eius inviolabilisque proprietates; demonstret quam dulcis in familia sit institutio, pro qua nihil aliud substitui possit; edoceat quod sit eius in sociali ordine nativum officium” (Paulus VI, *Sermo Nazarethanus*, 5 Ianuarii MCMLXIV)”.^[58]

Familia in Ecclesiae documentis

67. Concilium Oecumenicum Vaticanum II in Constitutione pastorali *Gaudium et spes* de dignitate matrimonii et familiaeque fovenda disseruit (cfr nn. 47-52). “Ipsam vitae amorisque communitatem definivit matrimonium (cfr 48), cum medium locum in familia obtineret amor [...]. “Verus amor inter maritum et uxorem” (cfr 49) mutuam sui donationem secum fert, sexus affectionisque rationem complectitur completque, divino consilio respondens (cfr 48-49). Coniugum fundamentum insuper in Christo ponendum extollit: Christus Dominus “per sacramentum matrimonii christifidelibus coniugibus obviam venit” (48) et cum illis manet. In incarnatione humanum amorem Ipse sumit, eumque purificat, in plenitudinem redigit, atque coniugibus sui Spiritus virtute facultatem eum

experiendi tribuit, omnem eorum fidei, spei caritatisque pervadens vitam. Hoc modo coniuges sunt consecrati atque propriam per gratiam Corpus Christi aedificant et domesticam ecclesiam constituunt (cfr *Lumen gentium*, 11), ita ut Ecclesia, sui mysterii penitus intellegendi causa, familiam christianam respiciat, quod sincere ipsa manifestat”.^[59]

68. Deinceps “*beatus Paulus VI*, vestigia persequens *Concilii Vaticani II*, de matrimonio familiaque doctrinam altius investigavit. In primis per Litteras encyclicas *Humanae vitae* in bono lumine collocavit intrinsecum vinculum inter coniugalem amorem et vitam generandam: “Amor coniugum ab ipsis exigit, ut munus suum probe noverint, paternitatem consciam attingens, quae, cum hodie optimo iure tantopere urgeatur, est idcirco recte intellegenda. [...] Paternitatis consciae munus id postulat, ut coniuges sua officia erga Deum, erga seipsos, erga familiam, erga humanam societatem agnoscant, rerum bonorumque ordine recte servato” (n. 10). In Adhortatione apostolica *Evangelii nuntiandi* beatus *Paulus VI* necessitudinem extulit inter familiam et Ecclesiam”.^[60]

69. “*Sanctus Ioannes Paulus II* per catecheses de humano amore, litteras familiis datas *Gratissimum sane* ac praecipue Adhortationem apostolicam *Familiaris consortio* peculiare familiae tribuit studium. His in documentis Pontifex “viam Ecclesiae” appellavit familiam; summam vocationem est complexus, quae ad amorem inducit virum et mulierem; praecipua indicia ostendit de familiae re pastoralis agenda necnon de familiae praesentia in societate. Nominatim, cum coniugalem caritatem tractaret (cfr *Familiaris consortio*, 13) rationem significavit qua coniuges, mutuo se amantes, Christi Spiritus donum recipiunt et suam ad sanctitatem vocationem experiuntur”.^[61]

70. “*Benedictus XVI* in Litteris encyclicis *Deus caritas est* argumentum repetiit veritatis amoris inter virum et mulierem, qui bene plane illuminatur solummodo amoris Christi crucifixi sub lumine (cfr 2). Ipse confirmat: “matrimonium, quod in amore unico ac definito fundatur, imaginem efficit Dei necessitudinis cum eius populo ac vicissim: ratio qua Deus amat mensura fit humani amoris” (11). Insuper in Litteris encyclicis *Caritas in veritate*, amoris praestantiam extollit, qui in societate vitae est principium (cfr 44), in quo loco bonum commune percipitur ac discitur”.^[62]

Matrimonii sacramentum

71. “Sacra Scriptura ac Traditio Trinitatem nobis patefaciunt, quae familiaribus lineamentis se manifestat. Familia est Dei imago, qui [...] est personarum communio. In baptisate Patris vox Filium dilectum designat Iesum, et hoc in amore Spiritum Sanctum agnoscere possumus (cfr *Mc* 1,10-11). Iesus qui in se omnia reconciliavit et a peccato hominem redemit, non modo matrimonium familiamque ad primigeniam effigiem revocavit, sed etiam matrimonium ad sacramentale signum sui in Ecclesiam amoris provexit (cfr *Mt* 19,1-12; *Mc* 10,1-12; *Eph* 5,21-32). In humana familia, a Christo coadunata, restituitur “imago et similitudo” Sanctissimae Trinitatis (cfr *Gn* 1,26), de quo nempe mysterio omnis verus amor manat. A Christo, per Ecclesiam, matrimonium ac familia necessariam Spiritus Sancti gratiam recipiunt ad Dei amoris Evangelium

testandum”.[\[63\]](#)

72. Matrimonii sacramentum non est socialis quaedam conventio, inanis ritus aut merum alicuius officii extrarium signum. Sacramentum donum est ad coniuges sanctificandos salvandosque, “quoniam mutuo ad se pertinent, iam revera per signum sacramentale commonstrant ipsam Christi coniunctionem cum Ecclesia. Coniuges igitur sunt pro Ecclesia recordatio perpetua illius rei, quae in Cruce evenit; sibi vicissim et filiis sunt testes salutis, cuius eos efficit consortes sacramentum”.[\[64\]](#) Vocatio est matrimonium, qua responsio est ad amorem coniugalem experiendum tamquam imperfectum amoris inter Christum et Ecclesiam signum. Itaque deliberatio nuptias ineundi atque familiam componendi ex vocationis discretionem oriri debet.

73. “Mutuum donum, matrimonii sacramentalis proprium, in baptismatis gratia nititur, quod singularum personarum cum Christo in Ecclesia fundamentale foedus facit. Eo quod mutuo se recipiunt atque, Christi suffragante gratia, nuptias inituri, omne donum, fidelitatem et ad vitam patefactionem inter se pollicentur, ipsi propria matrimonii agnoscunt quae a Deo eis donantur, serio animo suum mutuum officium suscipientes, eius nomine et coram Ecclesia. Rursus in fide matrimonii bona suscipi possunt tamquam officia quae expeditius gratiae sacramenti subsidio geruntur. [...] Itaque Ecclesia coniuges contuetur sicut totius familiae cor, quae vicissim lesam contuetur”.[\[65\]](#) Sacramentum “res” aut “vis” non est, quandoquidem reapse ipse Christus “per sacramentum matrimonii christifidelibus coniugibus obviam venit. Ipse cum eis manet, eis vim praebet ut Ipsum sequantur suam crucem super se sumentes, ut iterum post lapsus surgant, ut sibi mutuo indulgeant, ut alii aliorum portent onera”.[\[66\]](#) Christianum matrimonium est signum quod non modo ostendit quantopere amaverit Christus Ecclesiam in Foedere in cruce icto, sed efficit ut talis amor in coniugum communiione insit. Una carne se coniungentes nuptias ostendunt Filii Dei cum humana natura. Quapropter “ Ipse illis praebet, iam hic in terris, in gaudiis eorum amoris et eorum vitae familiaris, ut nuptiarum Agni praegustent convivium”.[\[67\]](#) Quamvis “similitudo inter maritum et uxorem et Christum et Ecclesiam” sit “imperfecta similitudo”[\[68\]](#), allicit ipsa ad Dominum invocandum, ut suum amorem intra coniugium vinculum limites transmittat.

74. Sexualis coniunctio, quam humane experiuntur coniuges quamque sacramentum sanctificat, via est porro illis in gratiae vita crescendi. “Mysterium nuptiale”[\[69\]](#) est. Corporum coniunctionis bonum consensus verbis manifestatur, dum mutuo coniuges recipiuntur ac donantur ad totam vitam communicandam. Verba haec sensum sexualitati tribuunt, qualibet dempta ambiguitate. Verumtamen, revera, omnis in commune coniugum vita, omnis necessitudinum complexio, quae inter eos, liberos mundumque erunt, sacramenti gratia imbuetur ac roborabitur, quae ab Incarnationis et Paschatis mysterio manat, in quo totum suum amorem in homines patefecit Deus atque cum iis arte se coniunxit. Numquam soli erunt, suis viribus fisi, ad provocationes quae forte erunt sustinendas. Vocantur ipsi sua opera, creatrice sua vi, sua firmitate et cotidiana contentione ad Dei dono respondendum, at Spiritum Sanctum invocare continenter poterunt, qui eorum vinculum consecravit, ut recepta gratia in omnibus novis condicionibus rursus manifestetur.

75. Ad Latinam Ecclesiae traditionem, in matrimonii sacramento vir et femina nuptias facturi sunt ministri,[70] qui mutuum consensum manifestantes eundemque per mutuo corpus traditum ostendentes, magnum donum recipiunt. Eorum consentio et corporum coniunctio instrumenta sunt divinae operae, quae ambo unam carnem reddit. In Baptismo eorum facultas se matrimonio coniungendi est consecrata, tamquam Domini ministros ut Deo vocanti respondeant. Itaque, cum duo non christiani coniuges Baptismum recipiunt, haud necesse habent matrimonialem promissionem iterare atque sufficit ut eam non reiciant, propterea quod, Baptismi recepti gratia, eorum coniunctio per se fit sacramentalis. Ius Canonicum validitatem agnoscit etiam nonnullorum matrimoniorum quae absque ordinato ministro celebrantur[71]. Etenim naturae ordo a Christi Iesu redemptione assumptus est, ita ut “inter baptizatos nequeat matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum”. [72] Requiritur potest Ecclesia ut actus publicus sit, adsint testes necnon aliae condiciones, quae annorum decursu sunt mutatae, sed hoc duobus sponsis sacramenti ministrorum proprietatem non aufert, neque primo loco aliquid detrahitur, quem viri feminaeque obtinet consensus, qui per se sacramentale vinculum efficit. Quidquid est, oportet de divina actione in nuptiali ritu ultra inquiramus, quae in orientalibus Ecclesiis multum praestat, cum benedictioni matrimonium contrahentium, uti Spiritus doni signo, magnum pondus tribuatur.

Verbi semina et condiciones imperfectae

76. “Familiae Evangelium etiam semina alit illa quae segetes parturiant, et illas arbores colere debet, quae aruerunt atque necesse habent ne neglegantur”, [73] ita ut a Christi dono in sacramento sumpto initio, “ad alia patienter ferantur et uberiores cognitionem plenioresque executionem consequantur huiusce mysterii vitae suae adiunctam”. [74]

77. Biblicam doctrinam recipientes, ad quam omnia per Christum et in Christum sunt creata (cfr Col 1,16), synodales Patres memorarunt “redemptionis ordinem illuminare complereque creationis ordinem. Naturale itaque matrimonium plane intellegitur sub sacramentalis consummationis lumine: Christum solummodo contuentes, veritatem humanarum necessitudinum funditus novimus. “Reapse non nisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit. [...] Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit” (*Gaudium et spes*, 22). Opportunum prorsus videtur christocentrica ratione coniugum bonum intellegere” [75], quod unitatem, generandi propositum, fidelitatem et indissolubilitatem complectitur, atque intra christianum matrimonium etiam mutuum adiumentum in itinere ad consummatam cum Domino amicitiam. “Quae *semina Verbi* inesse in aliis culturis agnoscuntur (cfr *Ad gentes*, 11) ea in matrimonium familiamque etiam conferri possunt. Praeter vere naturale matrimonium, in matrimonii generibus apud alias religiosas traditiones bona quaedam elementa reperiuntur” [76], quamvis non desint nempe umbrae. Effari possumus “quamque personam quae in hoc mundo familiam constituere vult, quae doceat filios ut singulis actibus laentur, qui malum vincere velint – familiam videlicet vivum operantemque Spiritum ostendentem – gratum animum et aestimationem

esse inventuram, cuicumque populo, religioni vel regioni sit obnoxia”[77].

78. “Christi intuitus, cuius lux omnem hominem illuminat (cfr *Io* 1,9; *Gaudium et spes*, 22) Ecclesiae pastorem curam de fidelibus suggerit, qui modo convivunt vel tantum nuptiis civiliter iunguntur vel divortium fecerunt et iterum matrimonium civile inierunt. Ad divinam paedagogiam, amore se vertit Ecclesia iis qui eius vitam imperfecte participant: cum iis conversionis gratiam invocat, eos item incitat ad bene faciendum, ad mutuam curam amabiliter agenda atque ad communitati inserviendum, in qua vivunt et operantur. [...] Cum coniunctio per publicum vinculum solidam stabilitatem obtinet – quae distinguitur alta affectione, responsalitate erga prolem, facultatibus adeptis difficultates superandi – occasio dari videtur ad matrimoni sacramentum eam vertendi, quoad fieri potest”.[78]

79. Coram difficilibus condicionibus ac sauciatis familiis, generale principium ob oculos semper est habendum: “Noverint pastores ex veritatis amore se bene distinguere debere inter varias rei condiciones” (*Familiaris consortio*, 84). Responsalitatis gradus cunctis in casibus haud est aequalis, atque quaedam rerum adiuncta exstare possunt quae deliberationis facultatem coarctant. Itaque, dum simul palam est enuntianda doctrina, iudicia sunt vitanda quae diversarum condicionum complexitatem non considerent et attente ponderetur modus oportet, in quo vivunt personae et suas propter condiciones patiuntur”.[79]

Vita propaganda liberique instituendi

80. Matrimonium primum est “intima communitas vitae et amoris coniugalis”[80] quod ipsis coniugibus est bonum[81], atque “sexualitas ad coniugalem ordinatur amorem viri et mulieris”.[82] Quapropter “coniuges quibus Deus habere filios non concessit, possunt tamen vitam coniugalem degere plenam sensu sub ratione humana et christiana”.[83] Attamen “indole autem sua naturali”[84] haec coniunctio ad procreationem ordinatur. Infans qui nascitur “mutuo coniugum amori extrinsece addendus non accedit; surgit in ipso corde huius mutui doni, cuius ipse fructus est et adimpletio”[85]. Non pervenit ille quasi sub finem alicuius processus, sed contra autem ab amoris initio tamquam essentielle quiddam adest, quod negari non potest nisi idem amor praecedatur. Inde a principio se in se ipse claudendi omnem impulsum refellit amor atque ad fecunditatem patet, quae eundem ultra propriam ipsius existentiam producit. Itaque nullus coniugum genitalis actus hanc significationem infitari potest,[86] quamvis varias ob causas haud semper novam vitam re generare possit.

81. Requirit filius ut tali amore nascatur et non quolibet alio modo, eo quod “filius non est quid *debitum*, sed *donum*”,[87] qui est “fructus proveniens ex actu coniugalis amoris proprio suorum parentum”,[88] quandoquidem “ad creationis ordinem coniugalis inter virum et feminam amor atque vitae transmissio inter se iugantur (cfr *Gn* 1,27-28). Hoc modo effecit Creator ut vir et femina ipsius creationis opus communicarent, quos pariter instrumenta constituit sui amoris, eorum responsalitati, per humanam vitam trasmissam, sortem humanitatis committens futuram”[89].

82. Synodales Patres hoc dixerunt: “Haud est laboriosum perspicere diffusam mentem, ad quam vitae generatio una est ex rebus eligendis, quas singularis persona vel coniuges simul praestituere possunt”^[90]. Ecclesiae doctrina “opem fert ut aequabilis consciaque inter coniuges teneatur omnibus ex partibus communio, una cum generationis responsalitate. Nuntius est rursus detegendus Litterarum encyclicarum *Humanae vitae Pauli VI*, qui necessitatem confirmat personae dignitatem servandae in methodis moraliter perpendendis natorum moderandorum. [...] Qui adoptionem et tutelam eligunt peculiarem coniugalis experientiae fecunditatem patefaciunt”^[91] Perquam grato animo Ecclesia “familias sustinet, quae inhabiles, recipiunt, colunt affectuque afficiunt”^[92]

83. Quibus rebus positis, facere non possumus quin affirmemus, si familia vitae est sanctuarium, locus nempe ubi vita generatur curaturque, miserandam reperiri discrepantiam, si locus fiat ubi vita negetur ac deleatur. Sic est magnum vitae humanae bonum, atque sic inviolabile vitae innocentis parvuli ius, suae matris in sinu crescentis, ut haudquaquam ius sit vindicandum de proprio corpore quod de tali vita decernitur, utpote cum in se ipsa sit finis quaeque numquam esse possit dominatus obiectum cuiuslibet hominis. Vitam in quocumque eius gradu tuetur familia, etiam cum ad exitum vergit. Quocirca “in sanitatis structuris operantes de morali officio monentur conscientiae obiectionis. Eodem quidem modo Ecclesia non solum necessitatem animadvertit iuris confirmandi mortis communis, cum sanationis obstinatio et euthanasia vitatur”, sed etiam “capitalem poenam firmiter respuit”^[93]

84. Confirmare etiam voluerunt Patres “unam de maximis provocationibus, quibus occurrere debent familiae hodie, esse utique educationem, quae propter praesentem culturam et communicationis socialis magnum instrumentorum pondus laboriosior fit et implicatio”^[94] “Ecclesia magni pretii sustinet partes, familiis opem ferens, a christiana initiatione incipiens, per recipientes communitates”^[95] Attamen in primis Nobis videtur memorare integram educationem filiorum “officium gravissimum” ac simul “ius primum” esse parentum.^[96] Non solummodo agitur de munere aut pondere, sed etiam de praecipuo iure quod aliis demandari non potest, quod tueri debent parentes quodque nemo ab eis auferre quodam sub obtentu debet. Publica potestas educationis servitium subsidii in modum praebet, ad parentes necessario attinens munus comitandi, qui ius habent educationis – in promptu quidem quae sit et qualitatis - genus libere eligendi, quam ad suam mentem filiis ministrare volunt. Schola in parentum locum non supponitur, sed est eorum supplementum. Praecipuum est hoc principium: “Quivis alius in educationis cursu cooperator, parentum nomine, eorum consensu et quodammodo etiam eorum mandato agere debet”^[97] Attamen “inter familiam et societatem, inter familiam et scholam, aliquid fractum est; educationis foedus hodie est fractum; et sic educationis pactio societatis cum familia in discrimine versatur”^[98]

85. Per congruam pastoraalem actionem ad cooperandum vocatur Ecclesia, ut parentes ipsi suum educationis munus exsequi possint. Quod cum facit, semper eos adiuvere debet ut peculiare eorum officium frugifere evolvatur, et agnoscat eos, qui matrimonii sacramentum receperint,

veros fieri educationis ministros, quandoquidem filios instituentes Ecclesiam aedificant^[99], atque id facientes vocationem accipiunt a Deo sibi propositam^[100].

Familia et Ecclesia

86. “Intimo profecto gaudio magnaue consolatione Ecclesia familias conspicit Evangelii doctrinae obnoxias, iisdem propter oblatam testificationem agens gratias animumque addens. Per eas enim indissolubilis et usque fidelis matrimonii pulchritudo credi potest. In familia “velut ecclesia domestica” (*Lumen gentium*, 11) prima ecclesialis experientia inter personas communionis adolescit, in qua per gratiam Sanctae Trinitatis resilit mysterium. “Ibi patientia et laetitia laboris, amor fraternus, indulgentia generosa, etiam iterata, et praecipue divinus per orationem et propriae vitae oblationem cultus discuntur” (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1657).^[101]

87. Familia familiarum est Ecclesia, continenter omnium ecclesiarum domesticarum vita locupletata. Quapropter “per matrimonii sacramentum quaeque familia usquequaque Ecclesiae fit bonum. Hoc in rerum prospectu procul dubio etiam magni pretii erit donum, quod Ecclesiae quae nunc est datur, considerare inter familiam et Ecclesiam vicissitudinem: Ecclesia bonum est familiae, familia bonum est Ecclesiae. Domini sacramentale donum custodiendum non modo singulam familiam involvit, sed omnem christianam communitatem”.^[102]

88. Amor qui inter familias viget perpetua est Ecclesiae vitae vis. “Copulativus matrimonii finis continenter requirit ut amor hic adolescat et roboretur. In sua amoris coniunctione paternitatis maternitatisque pulchritudinem experiuntur coniuges; proposita laboresque, desideria sollicitudinesque communicant; mutuam curam discunt mutuamque veniam. Hoc in amore felicia tempora celebrant ac se sustinent cum quaedam difficilia suo in vitae cursu patiuntur. [...] Mutui ac gratuiti doni pulchritudo, gaudium propter orientem vitam et benevola omnium membrorum cura, a parvulis ad senes, quidam sunt fructus qui efficiunt ut familiae vocationi singulariter ac necessario respondeatur”,^[103] tum quod ad Ecclesiam attinet, tum cunctam ad societatem.

CAPUT QUARTUM

AMOR IN MATRIMONIO

89. Omnia quae dicta sunt non sufficiunt ad significandum Evangelium matrimonii et familiae si peculiari modo non sistimus *in loquendo de amore*. Quia non possumus fidelitatis iter excitare atque mutuae sui ipsius donationis, si progressionem non stimulamus, consolidationem atque amoris coniugalis familiarisque pervestigationem. Re vera, gratia sacramenti matrimonii potissimum «ad perficiendum destinatur coniugum amorem»^[104]. Etiam hoc in casu valida sententia manet: «Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos omnes facultates meas et si tradidero corpus meum, ut glorier, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest» (1 Cor 13, 2-3). Verbum

tamen «amor», quod inter maxime adhibita est vocabula, pluries pessime tractatur^[105].

Amor noster cotidianus

90. Sic dicto in hymno caritatis a sancto Paulo conscripto quasdam indoles veri amoris animadvertimus: «Caritas patiens est, benigna est caritas, non aemulatur, non agit superbe, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet» (1 Cor 13, 4-7).

Hoc vivitur et colitur in vita quam unoquoque die coniuges inter se et cum filiis suis communicant. Quam ob rem prorsus iuvat in verbis huius textus explicandis sistere ut eorum usus definitae existentiae cuiusque familiae accommodetur.

Patientia

91. Primum vocabulum adhibitum *makrothyme* est. Non est mera conversio: «patiens est», quia haec notio in fine v. 7 significatur. Sensus e translatione Graeca Veteris Testamenti percipitur, in quo Deus «patiens et multae miserationis» describitur (Ex 34,6; Nm 14,18). Demonstratur cum persona non sinit sibi impulsionibus duci atque aggressionem vitat. Peculiaritas est Dei Foederis qui ad se imitandum etiam intra familiarem vitam vocat. Sententiae in quibus sanctus Paulus hoc adhibet vocabulum legendae sunt Libro considerato Sapientiae (cfr 11,23; 12,2.15-18): cum Dei laudatur moderatio ut locus paenitentiae detur, ibi eius potestas extollitur quae manifestatur cum Ille misericorditer agit. Patientia Dei est exercita misericordia erga peccatorem atque authenticam demonstrat auctoritatem.

92. Cum quis patiens est haud vult ut diuturne vexetur, vel vapulet, vel sicut res tractetur. Res in medium vocatur cum poscimus ut amoenae sint necessitudines vel personae sint perfectae, vel cum nos medium ipsi obtinemus locum et exspectamus ut nostra tantum fiat voluntas. Tunc autem omnia nos conturbant, omnia nos impellunt pugnaciter ad agendum. Si patientiam non colimus, semper aliquid causamur irati responsuri, et tandem illi erimus qui convivere nesciunt, societatem aversantur, implusiones temperare non valent, atque familia in locum convertitur certaminis. Quam ob rem verbum Domini nos adhortatur: «Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia» (Eph 4, 31). Haec patientia robustior fit cum agnosco alii etiam ius esse in hac terra mecum vivendi, sicut ipse est. Nihil interest sitne mihi taedium, mutetne mea proposita, sitne mihi suo agendi modo vel suis cogitationibus molestum, si non sit in omnibus sicut exspectabam. Amor semper secum fert sensum profundae compassionis, quae ducit ad alium accipiendum veluti huius mundi partem, etiamsi aliter se gereret ac desideravissem.

Benignitatis habitus

93. Vocabulum *chresteuetai* sequitur, quod unum est in omnibus Sacris Scripturis, quodque ducitur a *chrestos* (persona videlicet bona, quae suam demonstrat in agendo bonitatem). Tamen, loco considerato in quo invenitur, arte videlicet cum praecedenti verbo coniuncto, istius fit complementum. Hoc modo Paulus planum facere cupit “benignitatem”, in primo loco allatam, non esse in universum habitum passivum, sed operositate duci, actione videlicet alacri et inventrice in alios. Indicat amorem qui bonum aliis facit eosque promovet. Quam ob rem convertitur ut “benignus”.

94. In universum hoc textu intellegitur Paulum confirmare velle amorem non esse solam animi affectionem; consideranda est notio vocabuli “amare” quod Hebraico sermone, significat “bonum facere”. Sicut sanctus Ignatius de Loyola dicebat, «amor ipse ab operibus magis, quam a verbis pendet»^[106]. Hoc modo omnem eius fecunditatem demonstrare potest atque patitur ut nos dandi felicitatem experiamur, nobilitatem item atque magnitudinem sese offerendi, nihil metientes, nihil flagitantes, dumtaxat dare ac servire studentes.

Invidia sananda

95. Reicitur igitur, veluti caritati contrarius, modus agendi quem vox *zelos* significat (aemulatio vel invidia). Quod manifestat in caritate non esse locum dolori ob bonum alterius (cfr *Act 7,9; 17,5*). Invidia quaedam est tristitia ob bonum alterius quae demonstrat nobis non esse cordi felicitatem aliorum, quia nostrum tantummodo curamus commodum. Dum amor nobis e nobismet ipsis exire sinit, invidia autem ducit nos ad nostrum “ego” in medium ponendum. Verus amor aestimat aliorum proventus, eosque non sicut periculum considerat atque exuitur ab amaro gustu invidiae. Illud probat unumquemque variis doni frui ac diversas vitae semitas calcare. Itaque quisque studet propriam viam detegere ad felicitatem obtinendam, aliis concedens ut suam reperiant.

96. Agitur ad summam de hoc adimplendo quod duo postrema praecepta Legis Dei postulabant: «Non concupisces domum proximi tui: non desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum nec omnia quae illius sunt» (*Ex 20, 17*). Amor nos ad sinceram adducit aestimationem cuiusque hominis, eius agnoscendo ius ad felicitatem. Illam personam amo, eam contuitu Dei Patris respicio, «qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum» (*1 Tim 6,17*) atque in me ipse eam recipio ut bono tempore frui possit. Eadem amoris radix, utcumque res ceciderit, est illa quae me ad recusandam iniustitiam adducit, quia quidam nimium et alii nihil habent, vel illa quae efficit ut quotquot a societate reiciuntur quadam laetitia frui possint. Quod tamen non est invidia, sed aequitatis desiderium.

Sine gloria vana et superbia

97. Sequitur vocabulum *perpereuetai* quod indicat vanam gloriam, anxietatem se ipsum superiorem monstrandi ad alios per putidum ac peracrem agendi modum. Qui amat, non solum de se ipso nimis loqui refugit, sed porro quia in aliis mentem defigit, eorum partes tueri novit, haud

sibi medium vindicans locum. Vocabulum sequens – *physioutai* – valde simile est, quia significat amorem asperum non esse. Ad verbum tranfertur “non inflatur” coram aliis, atque aliquid subtilius significat. Non est sola assidua cura de propriis demonstrandis facultatibus, sed etiam efficit ut veritatis sensus amittatur. Sunt qui se maiores considerent quam ipsi sint, quia “spiritaliores” vel “sapientiores” putari volunt. Paulus hoc verbo aliis in tribus locis utitur, exempli gratia, cum dicat: «scientia inflat, caritas vero aedificat» (1 Cor 8,1). Id est, se ipsos magnos nonnulli considerant quia plus sapiunt quam alii atque dant operam ut ab aliis recipiant et eos item temperent, dum reapse amor, qui intellegit, curat, infirmum sustinet, nos magnos reddit. Alia in sententia idem vocabulum adhibet ad illos castigandos qui «inflati sunt» (1 Cor 4,18), sed revera plus habent verborum quam Spiritus “virtutis” (cfr 1 Cor 4,19).

98. Tanti est ut christiani hos mores teneant, familiares tractantes, qui parum in fide sunt instituti, infirmi vel de suis principiis incerti. Nonnumquam aliud evenit: illi qui, suam intra familiam videntur plus crevisse, acres manifestantur et intolerabiles. Humilis agendi modus hic apparet veluti aliquid quod ex amore oritur, quia ut alii ex corde intellegantur eisque ignoscatur ac serviatur, opus est superbia deponatur humilitasque colatur. Iesus suis discipulis memorabat in mundo potentiae quemque dominari alium velle et huius rei causa iis dicit: «Non ita erit inter vos» (Mt 20,26). Amoris christiani ratio non est illa ad quam quidam se ipsum aliis superiorem considerat iisque vult suam demonstrare potentiam, sed illa ob quam «quicumque voluerit inter vos magnus fieri, erit vester minister» (Mt 20,27). In vita familiari ratio dominationis aliorum super alios vigere non potest vel contentio ut cognoscatur quis intelligentior sit vel potentior, quia eiusmodi ratio amorem exstinguit. Etiam ad familiam hoc spectat consilium: «Omnes autem invicem humilitatem induite, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam» (1 Pt 5, 5).

Amabilitas

99. Amare vult etiam se reddere amabilem et hic significationem invenit vocabulum *aschemonei*. Ostendere vult amorem rudi modo non operari, modo aspero non agere, durum in tractando non esse. Eius modi, eius verba, eius gestus sunt grati et non acres vel rigidi. Dolorem aliis adferre detestatur. Urbanitas «schola est animo sentiendi et liberalitatis» quae a persona requirit ut «suam colat mentem suosque sensus, ut discat auscultare, loqui atque interdum silere»^[107]. Amabilem esse non est ratio agendi quam christianus eligere potest vel recusare: pars est postulatorum quibus renuntiare amor non potest, «ideo homo tenetur [...] ut [...] aliis delectabiliter convivat»^[108]. Cotidie «in alterius vitam cum ingredimur, etiam cum nostrum est, blanda actio requiritur quae non invadit, quae fiduciam renovat et obsequium. [...] Amor, quo interior altiorque, eo plus libertatis servandae postulat atque facultatem exspectandi ut alius ianuam aperiat cordis sui»^[109].

100. Ut quis ad alterum vere conveniendum se disponat, eum amabiliter contueri debet. Hoc facere non possumus cum deteriora usque cernimus, quae alterius pravis moribus erroribusque lumen afferant, propriae infirmitatis tegendae causa. Conspectus amabilis nobis permittit ne

tantopere consideremus alterius limites, et hoc modo possumus eum tolerare atque coniungi communi proposito, quamvis inter nos dissimilitudines vigeant. Amor amabilis vincula generat, nexus colit, nova ligamina reperit, solidam constituit socialem necessitudinem. Hoc modo se tuetur ipse, quia si conscientia societatis deest, in alios deditio sustineri non potest. Unusquisque quaerit unice propriam convenientiam atque conviventia non datur. Persona societati infensa credit alios vivere ut eius necessitatibus satisfaciant et cum id faciunt suum tantummodo adimplent munus. Non datur igitur locus amabilitati amoris eiusque vocabulorum. Qui amat, verba adhortationis valet dicere quae corroborant, quae vim offerunt, quae consolantur, quae concitant. Videamus, exempli gratia, quaedam verba quae Iesus quibusdam dicebat: «Confide, fili» (*Mt 9,2*). «Magna est fides tua!» (*Mt 15,28*). «Surge!» (*Mc 5,41*). «Vade in pace!» (*Lc 7,50*). «Nolite timere!» (*Mt 14,27*). Non sunt verba quae humiliant, quae affligunt, quae irritant, quae contemnunt. In familia oportet ut discamus hunc amabilem Iesu sermonem.

Magnanimitas

101. Pluries diximus ad alios amandos oportere ut unusquisque antea se ipsum amet. Tamen, ad huius hymni sensum caritas «non est ambitiosa» vel «non quaerit, quae sua sunt». Haec sententia etiam alio in textu adhibetur: «Non, quae sua sunt, singuli considerantes, sed et ea, quae aliorum» (*Phil 2,4*). Hoc aperte Sacra Scriptura dicente, oportet vitari ut principatus proprio amori tribuatur, quasi si nobilissimum sui ipsius sit donum erga alios. Quaedam prioritas amoris erga se ipsos intellegi potest veluti condicio dumtaxat psychologica, propterea quod qui se amare ipse non valet, difficulter alios amat: «Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? [...] Qui sibi invidet, nihil est illo nequius» (*Eccli 14,5-6*).

102. Tamen ipse Thomas Aquinas explanavit: «Melius est amari quam amare, et per consequens magis conveniens caritati»^[110] atque, re vera, «matres, quae maxime amant, plus quaerunt amare quam amari»^[111]. Quam ob rem amor ultra iustitiam progredi potest et gratis redundare, nihil desperans (cfr *Lc 6,35*) usque ad maiorem dilectionem assequendam, id est animam pro aliis ponendam (cfr *Io 15,13*). Fieri etiam potest huiusmodi magnanimitas quae sinit gratis dare, videlicet usque ad finem dare? Sine dubio fieri potest, quia id est quod Evangelium postulat: «Gratis accepistis, gratis date» (*Mt 10,8*).

Absque interiore vi

103. Si prima sententia hymni nos ad patientiam adhortabatur quae refugit acerbum modum agendi erga debilitates vel errores aliorum, nunc aliud apparet vocabulum – *paroxynetai* – quod ad actionem refertur interiorem indignationis a re quadam externa inductae. De interiore agitur violentia, de irritatione non manifesta quae nos resistentes aliis facit, veluti si inimici essent fastidiosi qui omnino sunt evitandi. Eiusmodi intimam acrem agendi rationem alere nihil proficit. Id tantummodo efficit ut aegrotemus atque a societate nos segregemus. Indignatio sana est cum nos ad agendum adversus gravem iniustitiam adducit, sed nociva est cum ad imbuendos omnes

nostros mores erga alios tendit.

104. Evangelium invitat potius ad trabem in proprio oculo inspiciendam (cfr *Mt 7,5*), et sicut christiani non possumus constantem ignorare invitationem verbi Dei ne iram alamus: «Noli vinci a malo» (*Rom 12,21*). «Bonum autem facientes infatigabiles» (*Gal 6,9*). Aliud est vim sentire acris ingenii quae erumpit, aliud est ei consentire, pati ut perpetuus fiat habitus: «Irascimini et nolite peccare; sol non occidat super iracundiam vestram» (*Eph 4,26*). Quam ob rem, numquam dies in familia ad finem est adducenda sine pace facta. «Et quomodo possum pacem facere? An genuflecto? Non! Solummodo parvo signo, parva prorsus re opus est et familiaris concordia redit. Sufficit quaedam blanditia, sine verbis. Numquam tamen dies in familia ad finem est adducenda sine pace facta»^[112]. Actio interior erga molestiam ab aliis inductam benedictionem potissimum consituere in corde debet, bonum alterius desiderare, a Deo postulare ut eum liberet eumque sanet: «Benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate accipiatis» (*1 Pe 3,9*). Si contra malum certare debemus, id faciamus, sed semper nobis dicendum est «non» interiori violentiae.

Venia

105. Si sinimus ut mali sensus in nostra intrent viscera, locus damus odio quod in corde inhaerit. Sententia *logizetai to kakon* significat «cogitat malum», «secum fert notatum», id est acrimonia est plenum. Contraria res veniam significat, veniam quae in bono habitu nititur, quae intellegere aliorum debilitatem conatur et excusare alios studet, sicut Iesus qui dixit: «Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt» (*Lc 23,34*). Contra autem suetus est mos ut magis ac magis culpae quaerantur, usque malitiae fingantur, quodvis genus malarum intentionum adducatur, et hoc modo odium crescit et funditus radices agit. Hoc modo quivis error vel quaevis coniugis labes amoris vinculum delere potest atque familiarem firmitatem. Nimirum hoc illud est omnibus rebus eandem interdum tribui gravitatem, periculo interveniente ne crudeles fiamus possumus prae quovis alterius errore. Iusta repetitio priorum iurium in assiduam constantemque sitim transformatur vindicationis plus quam in sanam defensionem propriae dignitatis.

106. Cum laesi sumus vel decepti, venia fieri potest et optabilis est, sed nemo dicit eam facilem esse. Re vera «Familiaris communio servari perficique nequit nisi impenso studio sese abnegandi atque devovendi. Ea enim ab omnibus et singulis poscit promptam et magnanimam voluntatem proclivem ad indulgentiam, tolerantiam, veniam, concordiam, reconciliationem. Nulla familia ignorat quomodo caecus sui amor, dissensio, contentiones, conflictationes propriam communionem petant violenter letaliterque feriant interdum: inde multiplices variaequae oriuntur in familiari convictu discidii rationes»^[113].

107. Scimus hodie, ut veniam possimus dare, oportere ut per liberantem transeamus usum nos ipsos intellegendi nobisque ignoscendi. Pluries errores nostri, vel reprobans intuitus illorum quos amamus effecerunt ut affectionem in nosmet ipsos amitteremus. Hoc tandem nos impellit ad alios

cavendos, ad affectus fugiendos, ad timores in relationibus cum aliis habendos. Quocirca, culpam aliis tribuere falsum dat solacium. Oportet oremus propria cum historia, nosmet ipsos accipiamus, propriis cum limitibus vivere sciamus, et etiam nobismet ipsis dimittamus, ut eandem agendi rationem erga alios demonstremus.

108. Sed hoc usum prae se fert veniae a Deo acceptae, gratuita iustificationis absque nostris meritis. Accepimus amorem, operam nostram antecedentem, qui semper novam suppeditat opportunitatem, promovet et stimulat. Si illud admittimus Dei amorem condicionibus carere, affectum Patris emi non posse neque pecunia solvi, tunc amare poterimus praeter omnia, aliis dimittere quamvis iniusti erga nos fuerint. Aliter nostra vita in familia non erit amplius comprehensionis locus, comitatus et stimuli, et erit locus perpetuae contentionis vel mutuae punitionis.

Cum aliis laetare

109. Sententia *chairei epi te adikia* aliquid negationis complectitur, in profunditate cordis personae locatum. Est venenatus agendi modus illius qui laetatur cum animadvertit iniustitiam erga aliquem agi. Sententia perficitur per illam quae sequitur quaeque positive significatur: *synchairei te aletheia*: congaudet veritati. Id est laetatur ob bonum alterius, cum eius agnoscitur dignitas, cum eius facultates aestimantur eiusque bona opera. Hoc fieri non potest apud aliquem qui semper comparisonem facere debet et certare, etiam proprio cum coniuge, usque dum ob eius errata laetetur.

110. Cum amans persona facere bonum alteri potest, vel cum animadverti alterum bene se habere, id cum gaudio servat et hoc modo gloriam dat Deo, «hilarem enim datorem diligit Deus» (2 Cor 9,7), Dominus noster peculiari modo aestimat illum qui ob alterius laetatur felicitatem. Si non sustentamus nostras facultates gaudendi ob bonum alterius et potissimum nostras consideramus necessitates, nos ipsos condemnamus ad vivendum modica cum laetitia quia, sicut Iesus dixit, «beatius est magis dare quam accipere!» (Act 20,35). Familia oportet semper sit locus in quo quisquis aliquid boni in vita bonum facit, novit omnes simul cum illo id esse celebraturos.

Omnia suffert

111. Index quattuor adimpletur sententiis quae totum quiddam complectuntur: "omnia". Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hoc modo vis dynamica amoris adversus cultum humanum extollitur, qui cuilibet rei minitanti obsistere valet.

112. Primum dicitur "omnia suffert" (*panta stege*). Alia est res quam "non cogitat malum", quia haec notio cum usu sermonis neclitur; significare potest "silentium servare" de malo quod aliae personae insidere potest. Postulat ut iudicium coerceatur, inclinatio ad duram et implacabilem condemnationem inferendam contineatur. «Et nolite condemnare et non condemnabini» (Lc 6,37).

Licet nostro consueto linguae usui sit contraria, verbum Domini a nobis postulat: «Nolite detrahere alterutrum, fratres» (*Iac* 4,11). Cum quis alterius imaginem delere studet, propriam fortiorem reddere vult, suam iracundiam invidiamque emittere vult, haud considerato damno quod datur. Pluries obliviscimur calumniam magnum posse peccatum constituere, veram erga Dei offensionem, cum graviter affligit bonam aliorum famam, detrimentum eis faciens, cui difficulter medetur. Hanc ob rem verbum Dei severe de lingua agit, dicens: «universitas iniquitatis» quae «maculat totum corpus et inflammat rotam nativitatis» (*Iac* 3,6); est «inquietum malum, plena veneno mortifero» (*Iac* 3,8). Si «in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt» (*Iac* 3,9), amor imaginem curat aliorum, cum comitate illa, quae usque ad servandam bonam famam inimicorum ducit. In divina lege defendenda numquam est obliviscendum quod requirit amor.

113. Coniuges qui se amant et sibi mutuo tradunt, alter de altero bene loquuntur, bonam coniugis partem ostendere contendunt ultra debilitates et errores. In quovis casu, silentium servant ne imaginem alterius deleant. Quod non est tantum externum quiddam, sed aliquid quod ex interiore parte manat. Neque est imbecillitas illius qui difficultates et debilitates alterius videre non vult, sed est prospectus amplitudo illius qui istis debilitatibus erroribusque proprium tribuit locum; memorat eiusmodi pravitates dumtaxat esse partem, non totam alterius personam. Aliquid ingrati necessitudinis non totam necessitudinem complectitur. Possumus igitur plane accipere nos omnes complicatam esse mixturam lucis et umbrarum. Alter non est tantummodo ille qui mihi est fastidiosus. Plus est quam hoc. Quapropter, si non nimis postulo, aliquo modo efficit ut id intellegam, eo quod neque partem alicuius divini agere neque omnibus necessitatibus inservire potest. Amor una cum imperfectione vivit, huic ignoscit, et prae limitibus personae amatae silere studet.

Omnia credit

114. *Panta pisteuei*: “omnia credit”. Ex contextu, “fides” haec significatione theologica non est intellegenda, sed sueto sensu “fiduciae”. Non agitur tantummodo de suspiciendo alterum mentiri vel decipere. Praecipua eiusmodi fiducia agnoscit lucem a Deo accensam quae in obscuritate delitescit, vel ignem qui etiam sub cineribus ardet.

115. Eadem haec fiducia efficit ut libertatis necessitudo servetur. Non oportet ut alter inspiciatur, ut alterius passus minutatim observentur, ad vitandum ne e nostris fugiat brachiis. Amori est fiducia, amor in libertate relinquit, omnia inspicere, possidere, dominari desinit. Haec libertatis dat loca, aperturae ad mundum adque novos eventus, concedit ut necessitudo uberius fiat et non endogamia dempta spe. Hoc modo coniuges, inter se convenientes, laetari possunt de iis omnibus quae extra familiam receperunt ac didicerunt. Eodem tempore extare possunt sinceritas ac perspicuitas, quoniam, cum quis comperit ceteros sibi confidere ipsiusque genitivam bonitatem aestimare, tunc ostenditur sicut est, nulla re latente. Cum quis scit perpetuo se suspici, immisericorditer iudicari, sine condicionibus non amari, sua arcana servare is malet, proprios

errores et debilitates abscondere, se fingere ipsum qui non est. E contrario, familia, in qua solida benevolaque viget fiducia, et in qua nihilominus semper fiducia repetitur, sinit ut vera idoneitas ipsorum membrorum emergat et ita facit ut sua sponte dolus, falsitas mendacium reiciantur.

Sperat

116. *Panta elpizei*: futura non desperat. Cum antecedenti vocabulo coniuncta, sententia indicat spem illius qui scit alium mutari posse. Sperat semper fore ut fieri possit maturatio, inopinatus pulchritudinis ortus, atque quondam arcanae eius facultates germinentur. Quod non significat omnia hac in vita mutatum iri. Ea accipiantur quae non cedant ad ipsius voluntatem, sed forsitan Deus recte scribat in lineis detortis illius personae atque aliquid boni trahat ex malis quae illa non potest hac in terra superare.

117. Hic extat spes pleno suo sensu quia certitudinem amplectitur vitae post mortem. Illa persona, omnibus cum suis debilitatibus, ad plenitudinem Caeli vocatur. Illic, eadem plene resurrectione Christi transformata, non habebuntur amplius eius fragilitates, eius obscuritates neque eius morbi. Illic haec persona tota cum sua boni et pulchritudinis vi splendet. Hoc nobis etiam sinit, inter huius terrae difficultates, illam personam supranaturali intuitu contemplari, in spei luce, atque illam plenitudinem exspectare quam quodam die in Regno caelesti accipiet, quamvis nunc cerni non possit.

Omnia sustinet

118. *Panta hypomenei*, id est bono animo omnes res contrarias sustinet. Soliditatem sibi vult etiam in ambitu hostili servare. Non est tantummodo quasdam res molestas sustentare, sed est aliquid amplius: est patientia quaedam dynamica et constans, capax omnem superandi provocationem. Est amor praeter omnia, etiam cum omnia qua circa sunt ad aliam rem invitant. Portionem manifestat heroismi tenacis, potentiae adversus quamvis malam inclinationem, boni optionem quam nulla res delere potest. Hoc Nostram in memoriam illa verba Martini Luther King revocat, cum fraternum amorem eligendum confirmaret etiam inter saevissimas persecutiones et humiliationes: «Ille qui plus odii in te suscipit, aliquid boni in se habet; et etiam natio quae gravissimum odium concepit, aliquid boni in se habet. Et cum pervenis ad inspiciendum cuiusque personae vultum et magnam in illo intueris a religione vocatam “imaginem Dei”, incipis eam nihilominus amare. Nihil refert quid ille faciat, tu ibi imaginem Dei intueris. Adest elementum bonitatis a quo liberari non potes [...]. Alius modus amandi inimicum tuum hic est: cum occasio tibi datur tuum inimicum vincendi, hoc est tempus in quo discernere debes rem relinquere [...]. Cum te ad gradum amoris elevas, eius magnae pulchritudinis et potentiae, una res est tibi depellenda: mali ordo. Amas illos qui hoc ordine capiuntur, ideo quaeris hoc ordinem vincere [...]. Odium pro odio tantummodo odii duplicat existentiam et mali in universo. Si ego te percutio et tu me percutis, atque tibi plagam reddo et tu mihi, et ita porro, prorsus patet rem in infinitum proferri. Facile numquam res ad finem adducitur. Alicubi, rationis paulum quiddam aliquis demonstrare debet, et

ille est fortis. Fortis est qui odii catenam, mali catenam frangere valet [...]. Aliquis debet fidem habere et moralem rationem ad eam frangendam adque in ipsam structuram universi forte potensque elementum amoris iniciendum».[114]

119. In vita familiari haec amoris vis oportet colatur quae sinit adversus malum certare quod ei minatur. Amor non sinit se iracundia regi, despectione erga personas, desiderio vulnerandi vel pretium postulandi. Perfectum propositum christianum, quod peculiari modo familiam respicit, est amor prae omnibus. Nonnumquam admiramur, exempli gratia, modum agendi illorum qui a coniuge separari debebant ut a violentia corporis protegerentur, et, tamen, ob caritatem coniugalem quae studet animi sensus praetergredi, agere evaluarunt pro eius bono, quamvis per alios, temporibus morbi, doloris vel difficultatum. Etiam hic nihilominus est amor.

In caritate coniugali progrediendum

120. Hymnus sancti Pauli, quem perscrutati sumus, opportunitatem nobis dat ad caritatem coniugalem transeundi. Ea est in sponsis vis unitiva[115], sanctificata, aucta et gratia sacramenti matrimonii illuminata. Est «unio affectus»[116], spiritualis et oblativa, quae tamen in se ipsam teneritatem colligit amicitiae et cupiditatem eroticam, licet perdurare valeat etiam cum sensus et cupido diminuuntur. Papa Pius XI sic docuit: eiusmodi amor omnia munera vitae coniugalis penetrat atque «quemdam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis»[117]. Revera, eiusmodi flagrans amor, a Spiritu Sancto effusus, imago est Foederis indissolubilis inter Christum et humanum genus, quod fastigium suum in donatione usque ad finem obtinuit, in cruce: «Spiritus autem, quem Dominus effundit, cor novum largitur aptosque facit virum ac mulierem ad se amandos, quemadmodum nos Christus amavit. Coniugalis amor illam attingit plenitudinem, ad quam intrinsecus ordinatur, caritatem scilicet coniugalem»[118].

121. Matrimonium signum est pretiosum, quia «cum vir et mulier sacramentum Matrimonii celebrant, Deus, ut ita dicamus, in eis se “respicit”, in eis propria lineamenta imprimit atque indelebilem sui amoris notam. Matrimonium imago est amoris Dei erga nos. Etiam Deus revera communio est: tres Personae Patris, Filii et Spiritus Sancti semper et in perpetuum vivunt perfecta in unitate. Hoc est revera Matrimonii mysterium: Deus e duobus sponsis unam facit solam existentiam»[119]. Hoc consecutiones percetas et cotidianas secum fert, quia coniuges, «vi Sacramenti, vera et propria induuntur missione, ut visibilem valeant reddere, a rebus minimis, ordinariis initium capientes, amorem quo Christus suam amat Ecclesiam, propriam pergens vitam pro ea donare»[120].

122. Tamen non convenit varios confundere gradus: non est iaciendum in duas finitas personas grave pondus iterandi perfecto modo coniunctionem quae inter Christum eiusque est Ecclesiam, quia matrimonium veluti signum istud implicat: «Ita sane processus fit dynamicus, qui pedetemptim protenditur dona Dei»[121].

Tota vita, omnia in commune

123. Post amorem qui nos cum Deo coniungit, amor coniugalis est «maxima amicitia»^[122]. Est coniunctio quae cunctas notas bonae amicitiae suppeditat: inquisitio boni alterius, vicissitudo, familiaritas, teneritas, stabilitas atque similitudo inter amicos quae per vitam communicatam aedificatur. Tamen matrimonium ad haec omnia proprietatem indissolubilem addit, quae in proposito stabili exprimitur communicandi et simul totam vitam aedificandi. Sinceri nos sumus et signa rerum veritatis agnoscimus: qui amat, eiusmodi vinculum haud prae se fert esse ad tempus; qui flagranter laetitiam nuptiarum experitur, de quadam re transeunti non cogitat; qui celebrationem comitantur coniunctionis amoris repletae, etiam si fragilis, sperant fore ut annorum decursu producat; filii non solum desiderant ut eorum parentes se ament, sed etiam ut fideles sint et semper inter se coniuncti maneant. Haec et alia signa demonstrant in ipsa amoris coniugalis natura aliquid inesse ad consummatum quiddam perducens. Coniunctio quae in promissione matrimoniali in perpetuum firmatur, plus est quam quaedam formalitas socialis vel quaedam traditio, quia radices agit in inclinationibus personae humanae insitis; et credentibus, est foedus coram Domino qui fidelitatem postulat: «Dominus testificatus est inter te et uxorem adolescentiae tuae, cui tu factus es infidelis; et haec particeps tua et uxor foederis tui. [...] et uxori adolescentiae tuae noli esse infidelis. Si quis odio dimittit [...], operit iniquitas vestimentum eius» (*Mal 2,14.15.16*).

124. Amor debilis vel aeger, haud aptus ad matrimonium recipiendum veluti provocationem quae postulat ut certetur, renovetur, retegatur et ab initio rursus usque ad mortem repetatur, non valet magni ponderis gerere officium. Culturae rerum temporariarum cedit quae constantem impedit processum incrementi. Tamen «spondere amorem qui in perpetuum observetur dari potest cum inceptum detegitur maius propriis propositis, quod nos sustinet nosque sinit integrum futurum personae dilectae tradere»^[123]. Ut eiusmodi amor omnes probationes superare atque fidelis semper nihilominus manere possit, donum gratiae postulatur quod eum fortiorem reddat eumque elevet. Sicut asseverabat sanctus Robertus Bellarmino: «Quod unus uni indissolubili vinculo ita iungatur, ut quovis occurrente incommodo et etiam amissa spe prolis seiungi nequeant, sine magno mysterio esse non potest»^[124].

125. Matrimonium, praeterea, est amicitia quae notas proprias passionis amplectitur, sed semper ad coniunctionem stabiliorem usque et intensiorem dirigitur. Quia «non est tanum ad procreationem institutum», sed «ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine exhibeatur, proficiat et maturescat»^[125]. Haec peculiaris inter virum et feminam amicitia omnia complectentem indolem acquirit quae solummodo in coniugali coniunctione datur. Propterea quod omnia complectitur haec coniunctio, cetera etiam excludit, fidelis est et ad generationem patet. Omnia communicantur, etiam sexualitas, semper mutua in observantia. Concilium Oecumenicum Vaticanum II id adfirmavit dicens: «Talis amor, humana simul et divina consocians, coniuges ad liberum et mutuum sui ipsius donum, tenero affectu et opere probatum, conducit totamque vitam eorum pervadit»^[126].

Laetitia et pulchritudo

126. In matrimonio bonum est dare operam ut amoris laetitia colatur. Cum voluptas instanter conquiratur, in unam partem claudit neque sinit alia genera satisfactionis invenire. Laetitia, autem, ampliores capacitates gaudendi reddit atque iucunda variis in rebus invenire sinit, etiam in vitae aetatibus in quibus cupiditas exstinguitur. Hanc ob rem sanctus Thomas Aquinas de usu locutus est vocabuli «laetitiae» quod ad amplificandum et cor dilatandum spectat[127]. Laetitia matrimonialis, quam habere etiam in doloribus possumus, acceptionem implicat matrimonii veluti necessarium nexum gaudiorum et laborum, tensionum et quietis, dolorum et liberationum, satisfactionum et inquisitionum, molestiarum et voluptatum, semper in itinere amicitiae quae coniuges incitat ut alter de altero curam gerat: «Mutuum sibi adiutorium et servitium praestant».[128]

127. Amor amicitiae “caritas” appellatur cum accipitur et “plurimi” alius aestimatur[129]. Pulchritudo – “magnum pretium” alterius quod non idem valet atque eius venustates externae vel psychologicae – sinit nobis sacralitatem gustare eius personae sine imperiosa necessitate eam possidendi. In societate consumptionis notio aethetica pauper fit et hoc modo laetitia exstinguitur. Omnia prostant ut emanent, ut possideantur, ut consummentur; etiam personae. Teneritas, autem, est manifestatio huius amoris qui a desiderio omnia ad se immoderate referendi liberatur. Nos ad gestiendum coram persona immensa cum observantia adducit et quodam addito timore ei damnum reddendi vel ei libertatem detrahendi. Amor in alterum eiusmodi gustum contemplandi et aestimandi implicat quod pulchrum est et sacrum eius essentiae personalis, quod meas necessitates praetergreditur. Quod mihi eius bonum quaerere sinit etiam cum scio eum esse meum non posse vel cum physice factus est iniucundus, infensus vel molestus. Quam ob rem, «ex amore enim quo aliquis alium gratum habet, procedit quod aliquid ei gratis impendat»[130].

128. Aestheticus amoris usus in illo intuitu significatur qui alterum veluti finem in se ipse contemplatur, etiam cum aegrotat, senex est vel expers allicientium virtutum sensibilium. Intuitus qui aestimat, ingens pondus habet et cum parce suppeditatur plerumque damnum infert. Quot quantasque res nonnumquam coniuges faciunt ut considerentur et magni aestimentur! Multa vulnera et difficultates exstant cum nos contemplari desistimus. Hoc quaedam significant lamentationes et interpellationes quae in familiis audiuntur. “Meus maritus me non inspicit, illi videor invisibilis”. “Quaeso, ad me respice cum tibi loquor”. “Uxor mea me iam non respicit, nunc oculos tantummodo in filios figit”. “Domi meae nemo curam de me habet neque me vident, quasi non sim”. Amor oculos aperit et videre sinit, supra omnia, quantum humana valeat persona.

129. Laetitia eiusmodi amoris contemplativi omnino est colenda. Eo quod ad amandum sumus creati, novimus nullam maiorem esse laetitiam bono communicando: «Da et accipe et oblecta animam tuam» (*Eccli* 14,16). Laetitiae flagrantiores vitae habentur cum comparari potest felicitas alterius, ante tempus Caeli. Memoranda est felix scaena pelliculae cinematographicae *Prandium Babette*, in quo liberalis coqua gratum accipit amplexum atque laudem: «Quam amarem

angelos!». Dulcis est et consolans laetitia quae a delectamento manat aliis comparato, cum eos laetantes videmus. Eiusmodi laetitia, amoris fraterni effectus, non est illa vanitatis illius qui se ipsum respicit, sed illius qui amat quique bono amati delectatur, quod in alterum redundat et fecundum fit in ipso.

130. Ceterum, laetitia renovatur. Sicut sanctus Augustinus asseverare solebat, «quanto maius periculum fuit in proelio, tanto est gaudium maius in triumpho»^[131]. Postquam quaedam sunt perpassi et simul concertarunt, coniuges experiri possunt rem validam fuisse, quia aliquid boni acceperunt, aliquid simul didicerunt, vel pluris aestimare possunt quod habent. Pauca hominum delectamenta tantum habent altitudinis festivitatisque, quantum illa, quae duae personae mutuo amantes sunt una consecutae, multum virium simul insumentes.

Matrimonium ob amorem ineundum

131. Iuvenibus effari volumus nihil ex his omnibus praeiudicari cum amor modum sumit institutionis matrimonialis. Coniunctio in eiusmodi institutione modum invenit ad eius stabilitatem eiusque verum augmentum efficiendum. Verum est amorem maius quiddam esse quam extrarium consensum vel formam quamdam contractus matrimonialis, atque pariter certum est deliberationem matrimonio tribuendi visibilem in societate effigiem per definita officia suum pondus manifestare: identitatem cum altero serio animo acceptam demonstrat, individualismum adolescentium superari significat atque firmam ostendit deliberationem inter se ex toto eos devinciri. Matrimonium initum liquido manifestat maternum nidum revera relictum ad alia firma ligamina componenda adque novam responsalitem coram altera persona sumendam. Hoc pluris est quam mera quaedam voluntaria consociatio mutuae gratificationis, quod ad privam rem matrimonium redigeret. Matrimonium uti socialis institutio, tutela est et instrumentum mutui officii, ad amorem augendum ut deliberatio ad alterum pertinendi decisio pro altero solide, certe alteque crescat, eodem tempore ut missionem suam in societate adimplere valeat. Quam ob rem matrimonium quamlibet transeuntem rationem praetergreditur et perstat. Eius essentia ipsa natura personae humanae nititur eiusque indole sociali. Seriem munerum secum fert quae ex ipso amore oriuntur, ex amore nempe tam firmo ac liberali qui periculum futuri adire valet.

132. Hoc modo matrimonium eligere secum fert certum propositum et definitum duas vias in unam viam transformandi, quidquid erit et neglecta quavis provocatione. Ob serietatem huius muneris publici amoris, esse non potest subitaneum consilium, sed eandem ob rationem ex die in diem differri in perpetuum non potest. Cum quis alteri se uno definitoque vinculo se obstringit, discriminis aliquid colligit audacisque sponsionis. Cum quis eiusmodi munus sumendum recusat, solummodo suum ipsius modicum commodum respicit et alterius iura non agnoscit eumque societati ostendere haud studet, dignum profecto qui sine condicione ametur. Ceterum, ii qui vere amore sunt capti, tendunt ad suum amorem aliis manifestandum. Amor in quodam definitus matrimonio coram aliis contracto, una cum omnibus muneribus quae ab hoc instituto proficiscuntur, manifestatio est et praesidium alicuius “ita” quod sine exceptionibus datur et sine

condicionibus. Illud “ita” vult alteri patefacere semper eum confidere posse, eum numquam deseri, si alliacendi vim amiserit, si difficultates intervenerint vel si nova copia delectamentorum vel propriorum commodorum praesto erunt.

Amor qui manifestatur et crescit

133. Amor amicitiae omnes aspectus vitae matrimonialis in unum redigit atque membra familiae iuvat ad iter cunctis in aetatibus peragendum. Quam ob rem ea quae eiusmodi amorem significant oportet continenter colantur, sine avaritia, verbis magnificis repleta. In familia «necesse est ut tria adhibeantur verba. Hoc repetere volumus. Tria verba: possumne, gratias ago, ignosce. Tria praecipua verba!»[132]. «Cum in familia dominatus non ostenditur et dicitur “possumne?”, cum in familia non sumus nostrarum rerum immodice studiosi et discitur “gratias” agere, et cum in familia quidam intellegit se malum fecisse et novit dicere “ignosce”, in illa familia pax adest et laetitia»[133]. Ne simus parci his in verbis adhibendis, simus tamen liberales in his in dies repetendis, quia «gravia sunt quaedam silentia, nonnumquam etiam in familia, inter maritum et uxorem, inter patres et filios, inter fratres»[134]. Verba autem apta, tempestive pronuntiata, amorem in singulos dies tuentur et alunt.

134. Haec omnia in itinere quodam efficiuntur perpetui incrementi. Haec tanta species peculiaris amoris quae matrimonium constituit, ad constantem vocatur maturationem, quia ad illam semper est accommodandum quod sanctus Thomas Aquinas de caritate dicebat: «Ipsa enim caritas secundum rationem propriae speciei terminum augmenti non habet, est enim participatio quaedam infinitae caritatis, quae est Spiritus Sanctus [...]. Similiter etiam ex parte subiecti terminus huic augmento praefigi non potest, quia semper, caritate excrescente, superexcrescit habilis ad ulterius augmentum»[135]. Sanctus Paulus vehementer hortabatur: «Vos autem Dominus abundare et superabundare faciat caritate in invicem et in omnes» (1 Thess 3,12); et addidit: «De caritate autem fraternitatis [...] rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis» (1 Thess 4,9-10). Magis etiam. Caritas matrimonialis non custoditur ante omnia de indissolubilitate loquendo sicut de quodam officio, vel aliquam doctrinam repetendo, sed illud roborando constantis ope augmenti, gratia suffragante. Caritas quae non crescit, in discrimine incipit versari, et crescere possumus tantummodo divinae gratiae plurimis actibus amoris fideles, actibus affectus frequentioribus, intensioribus, alacrioribus, tenerioribus, laetioribus. Maritus et uxor «sensus suae unitatis experiuntur, quam plenius in dies adipiscuntur»[136]. Donum amoris divini quod in sponso effunditur, eos eadem opera convocant ad hoc gratiae donum usque augendum.

135. Minime iuvant quaedam dulcis et perfecti amoris species, orbatu hoc modo quovis stimulo adolescendi. Notio caelestialis amoris terrestris obliviscitur melius esse illud nondum attactum, vinum progrediente tempore maturatum. Sicut Episcopi Chiliae memoraverunt, «non sunt familiae perfectae quas nobis pervulgatio commendaticia fallax et rerum consumendarum immoderatio proponunt. In eis anni non transeunt, morbi, dolor, mors absunt [...]. Pervulgatio commendaticia rerum immodice consumendarum fallax est eaque longe abest a rebus, quibus singulis diebus

occurrere debent patres ac matresfamilias»[137]. Magis proficit revera limites accipere, provocationes et imperfectiones, nec non efficere ut ad coniuncte crescendum incitamentum excipiatur, amor curetur et vinculi firmitas colatur, quibuscumque in casibus.

Dialogus

136. Dialogus est mos praecipuus necessariusque ad vivendum, significandum et alendum amorem in vita coniugali et familiari. Sed longum officiosumque postulat tirocinium. Viri et mulieres, adulti et iuvenes, rationes habent communicandi diversas, aliis loquelis utuntur, alia mentem aperiendi signa usurpant. Modus quaestiones ponendi, modus responsionum, vocis sonus qui adhibetur, tempus et tot aliae res communicationem possunt afficere. Praeterea, semper necessarium est quosdam mores augere qui signum sunt amoris et verum dialogum eliciunt.

137. Sibi tempus concedatur, qualitatis quidem tempus quo patienter attenteque auscultare studetur donec alius omnia patefaciat quae dicere voluerit. Hoc ascensum postulat ne sermo ante aptum tempus incipiatur. Potius opinioniones vel consilia quam praebeantur, oportet certitudo habeatur alium omnia audivisse quae dicere voluisset. Quod implicat interiorum silentium ad auscultandum sine rumoribus in corde et mente: omnis festinatio est deponenda, propriae necessitates et prooperationes amovendae, locus dandum. Pluries unus ex coniugibus solutione non eget suarum difficultatum, sed vult auscultari. Percipere debet ipsius poenam, animi destitutionem, timorem, iram, spem somniumque esse intellecta. Tamen saepe hae audiuntur lamentationes: “Me non auscultat. Cum videtur hanc rem facere, revera de alia re cogitat”. “Loquor et animadverto eum exspectare, dum tandem finem faciam”. “Cum loquor, argumentum studet mutare, vel mihi cito dat responsiones ad colloquium finiendum”.

138. Oportet mos augeatur alteri verum pondus tribuendi. Agitur de eius persona aestimanda, de eius iure videndi agnoscendo, eius libera cogitatione deque iure ad felicitatem. Nullo modo parvi aestimanda sunt quae dicere potest vel postulare, quamvis necessarium sit propriam mentem aperire. Hic id habetur firmum omnes aliquid conferre posse, quia aliam habent vitae historiam, quia alio sub aspectu res inspiciunt, quia alias sollicitudines sunt consecuti aliasque habent facultates et intuitiones. Veritatem de altero agnoscere possumus, pondus eius altissimarum sollicitudinum atque interiora rerum quas dicit, etiam sub vocibus pugnacibus. Hanc ob rem oportet eius personam induere atque altitudinem eius cordis attingere, ea percipere quae eum movent atque illud suscipere studium, unde dialogum altius agi incipiatur.

139. Amplitudine mentis opus est, ne laboriose in paucas sententias claudatur, et mollitia ad mutandas vel proprias adimplendas opinioniones. Fieri potest ut ex mea et alterius cogitatione nova exstet compositio quae utrumque uberiores reddat. Unitas cui oportet studeatur non est uniformitas, sed quaedam “unitas in diversitate” vel quaedam “diversitas reconciliata”. Hac in locupletanti ratione communionis fraternae, personae diversae inter se conveniunt, mutuo sese

observant et sese item mutuo aestimant, servantes tamen diversas species notasque quae commune augent bonum. Non est necesse ut iidem simus. Oportet astutia habeatur ut tempestive “perturbationes” animadvertantur quae exstare possunt, ita ut ne dialogi deleant processum. Exempli gratia, mali sensus agnoscantur qui emergere poterint iique contineantur ne communicationis praeiudicium fiat. Magnum pondus habet facultas significandi quod sine vulneribus animadvertitur; sermo adhibeatur atque loquendi genus quod facilius accipi et tolerari ab altero possit, quamvis argumentum operis multum postulet; propriae querelae proponantur sine tamen ira veluti vindicationis studio, atque sermo vitetur de moribus praecipiens qui aggredi tantummodo studet, ad illudere, arguere, vulnerare. Multae inter coniuges disputationes ob gravissimas non oriuntur quaestiones. Nonnumquam de parvis rebus agitur, paene inanibus, sed quod animos turbat, modus est eas pronuntiandi vel mos qui in dialogo adhibetur.

140. Observantiae signa et affectus demonstrationes in alterum manifestentur. Amor gravissima saepimenta praetergreditur. Cum aliquem amare possumus vel ab illo amari sentimus, melius intellegere possumus id quod significare vult et nobis tradere. Infirmitas superetur quae nos ad timorem erga alterum ducit quasi si “rivalis” quidam sit. Magni momenti est propriam securitatem ad profundas optiones, opinationes et bona religare, et non ad deficientem victoriam in disputando vel propterea quod nostra sententia probatur.

141. Agnoscamus denique, ut dialogus frugifer sit, oportere quaedam dicenda habeantur, et hoc spiritalem postulare ubertatem quae legendo alitur, personali item meditatione, oratione atque aperitione erga societatem alitur. Alioquin, colloquia incommoda fiunt et vana. Cum quisque e coniugibus proprium non curat spiritum et varietas necessitudinum cum aliis non habetur, vita familiaris endogamica fit et dialogus arescit.

Amor ardens

142. Concilium Oecumenicum Vaticanum II sic docuit: amor coniugalis «totius personae bonum complectitur ideoque corporis animique expressiones peculiari dignitate ditare easque tamquam elementa ac signa specialia coniugalis amicitiae nobilitare valet».[138] Quaedam inesse causa debet cur amor sine voluptate sineque passione non sufficiat coniunctionem cordis humani cum Deo significare: “Omnes mystici adfirmaverunt amorem sopraturalem et amorem caelestem invenire conquista signa magis in amore matrimoniali quam in amicitia, magis in sensibus filialibus vel in dedicatione alicui causae. Ratio iure eius in universitate reperitur”[139]. Quidni igitur non loquamur de sensibus et sexualitate in matrimonio?

Emotionum universitas

143. Desideria, sensus, emotiones, haec omnia quae auctores classici “passiones” appellabant, in matrimonio praecipuum obtinent locum. Generantur cum “alter” praesens adest atque in propria vita sese manifestat. Est omnium animantium ad alteram tendere realitatem, et haec inclinatio

semper signa praecipua affectuum praebet: voluptatem vel dolorem, laetitiam vel aegritudinem, teneritatem et timorem. Praesumptiones quidem sunt navitatis psychologicae omnino fundamentalis. Persona humana hac in terra vivit et omnia quae facit et quaerit passionibus cumulantur.

144. Iesus, verus ut homo, res animi commotione percipiebat. Hanc ob rem dolebat quod Ierusalem eum recusavit (cfr *Mt* 23,37) et hanc ob causam lacrimas effundebat (cfr *Lc* 19,41). Similiter prae hominibus patientibus misericordia movebatur (cfr *Mc* 6,34). Cum alios vidit flentes, fremuit spiritu et turbavit se ipsum (cfr *Io* 11,33), et ipse post mortem amici est lacrimatus (cfr *Io* 11,35). Hae manifestationes eius misericordiae demonstrabant quomodo eius cor ad alios pateret.

145. "Videtur quod nulla passio animae sit bona vel mala moraliter".^[140] Incipere desiderium percipere vel recusationem non est noxium neque reprobandum. Bonum vel malum est quod quisque agit passione compulsus quadam vel comitatus. Sed si sensus aluntur, quaeruntur et eorum causa mala agimus, malum adest in voluntate eos alendi atque in actibus malis qui consequuntur. Similiter voluptatem pro aliquo axperiri non est per se bonum. Si cum eiusmodi voluptate ego efficio ut illa persona mea fiat serva, sensus meo serviet ipsius amori. Credere nos bonos esse tantummodo quia "sensus percipimus" maximum est mendacium. Sunt quidam qui se sentiant magni amoris capaces dumtaxat quod est illis magna affectus necessitas, tamen non valent pro felicitate aliorum certare et vivunt propria in desideria inclusi. Hoc in casu sensus a magnis bonis abducunt atque egocentrismum abscondunt qui non sinit ut vita in familia sana felicique colatur.

146. Ceterum, si quaedam passio actum liberum comitatur, altitudinem illius optionis manifestare potest. Amor matrimonialis illuc perducit ut tota emotionum vita bonum pro familia fiat et vitae in commune serviat. Maturitas in familia acquiritur cum vita emotionum eius membrorum in sentiendi vim transformatur quae non dominatur neque magnas obscurat optiones atque bona, sed eorum comitatur libertatem^[141], ab illa exit, eam uberiolem reddit, pulchriorem eamque convenientiorem ad omnium bonum facit.

Dei dilectio laetitiae suorum filiorum

147. Hoc iter postulat paedagogicum, processum qui renuntiationes quasdam secum fert. Est Ecclesiae persuasio pluries recusata, perinde ac si inimica esset humanae felicitatis. Benedictus XVI hanc interrogationem planissime recoluit: «Nonne suis mandatis atque vetitis Ecclesia rem vitae pulcherrimam fortasse reddit nobis amaram? Nonne fortasse nuntios prohibitionis attolit Ecclesia ibi omnino ubi laetitia nobis a Creatore praeparata felicitatem nobis praebet quae praegustare nos etiam sinit aliquid de Divina natura?»^[142]. Sed ille sic respondebat: licet in religione christiana exaggerata quaedam invenirentur aut vitiati ascetismi, doctrina officialis Ecclesiae, fidelis Scripturis, «hinc vero minime eros repudiavit in se, sed quasi bellum indixit eius eversioni deletoriae, quoniam falsa divinizatio eros [...] destituit eum dignitate, eripit ei

humanitatem».[143]

148. Educatio commotionum et instinctus est necessaria et, hanc ob rationem, nonnumquam necessarium est sibi quosdam terminos constituere. Nimium, absentia moderationis, una flagranter petita voluptas efficiunt ut enervetur et aegrotet ipsa voluptas[144], atque familiae vitam laedunt. Re vera pulchrum iter perfici potest cum passionibus, quod secum fert ut eae magis ac magis ad propositum dirigantur se donandi seseque perficiendi, ad uberiores necessitudines inter personas intra ipsam familiam consequendas. Non profecto vult momenta maximae laetitiae respuere[145], sed iisdem una cum aliis momentis studiosae oblationis, patientis spei, inevitabilis faticationis, conatus cuiusdam perfecti propositi devinctis frui cupit. Vita in familia totum hoc est et illa meretur ut integre exigatur.

149. Quaedam opinationes spiritales nostrae aetatis desiderium volunt eicere ut a dolore liberentur. Sed nos credimus Deum amare laetitiam hominis, Eum omnia creavisse «abunde ad fruendum» (1 *Tim* 6,17). Sinamus laetitiam scaterere coram eius teneritate cum nobis proponit: «Fili, si habes, benefac tecum [...]. Non defrauderis a bono diei» (*Eccli* 14,11.14). Etiam coniuges voluntati Dei respondent hanc sequentes biblicam invitationem: «In die bona fruire bonis» (*Eccl* 7,14). Libertas oportet habeatur ut voluptas alias significationis formas inveniat variis in vitae circumstantiis, secundum necessitatem mutui amoris. Hac sententia, propositum accipi potest quorundam magistrorum Orientalium qui in conscientia amplificanda insistunt, ne maneamus in eventu quodam valde definito qui nobis prospectus clauderet. Eiusmodi conscientiae amplitudo non est negatio vel destructio desiderii, sed eius amplificatio eiusque ad perfectionem progressio.

Mensura erotica amoris

150. Haec omnia nos ducunt ad loquendum de vita sexuali coniugum. Deus ipse sexualitatem creavit, donum mirificum suis pro creaturis. Cum ea colitur et vitatur ne sine moderatione sit, impeditur ne «deminutio boni authentici» accidat[146]. Sanctus Ioannes Paulus II sententiam recusavit de doctrina Ecclesiae quae perduceret ad «negationem boni sexus humani» vel solummodo «ob necessitatem ipsam procreationis» ei induderetur[147]. Desiderium sexuale coniugum non est obiectum contemptationis et «nullo modo haec necessitas vocatur in dubium».[148]

151. Illis qui timent ne passionum et sexualitatis institutio amoris sexualis naturam aversetur, sanctus Ioannes Paulus II respondebat hominem «ad plenam maturamque liberam voluntatem ligaminum vocari quae «progrediens est fructus discretionis proprii cordis moventis»[149]. Est aliquid quod acquiritur, eo quod «homo perseveranter et constanter discere debet quid sit corpus»[150]. Sexualitas non est fons gratiarum recipendarum vel morae tenendae, cum de sermone agatur inter personas in quo alter studiose consideratur, suo cum sacro inviolabilique bono. Hoc modo «cor humanum particeps fit, ut ita dicamus, alterius liberae voluntatis».[151] Intra haec erotismus manifestatio apparet peculiariter humanae sexualitatis. In illo reperi potest «notio

sponsalis corporis atque authentica dignitas doni»[152]. Suis in catechesibus de theologia corporis humani, sanctus Ioannes Paulus II docuit corporis sexum «fonte esse non solum fecunditatis et procreationis», verum etiam habere «capacitatem amoris significandi: amoris videlicet in quo homo persona donum fit».[153] Erotismus sanior, etiamsi cum voluptate conquisita coniungitur, stuporem secum fert, et hanc ob rem impulsus potest ad humanitatem redigere.

152. Itaque nullo modo intellegere possumus indolem eroticam amoris veluti malum permissum vel pondus suscipiendum pro familiae bono, sed veluti donum Dei quod inter se convenientes coniuges exornat. Cum de evecta agatur voluptate amoris qui alterius admiratur dignitatem, «plena et clarissima amoris adfirmatio» fit quae nobis demonstrat quorum stuporum capax sit cor humanum, et hoc modo temporis puncto «vitam humanam percipitur veluti bonum esse eventum»[154].

Violentia ac fraudes

153. Bonis perspectis sexualitatis, opportunum videtur argumentum totum exponere eiusque integritatem et veritatem. Verum enimvero ignorare non possumus pluries sexualitatem personalitate privari et etiam morbis cumulari ita ut «semper magis occasio fit et instrumentum ad proprium “ego” roborandum atque satisfactionis ad suam utilitatem attinentis propriorum desideriorum et instinctuum»[155]. Hac aetate praesens est periculum ne etiam sexualitas pernicioso spiritu illius «adhibe et eice» temperetur. Corpus alterius saepe veluti quaedam tenenda res usurpatur usquedum nobis offerat satisfactionem et postea, trahendi vi amissa, spernenda. Num forsitan ignorari possunt vel dissimulari constantes formae dominationis, impotentiae, abusus, perversionis et violentiae sexualis, qui fructus sunt alicuius depravatae notionis sexualitatis atque dignitatem aliorum amorisque vocationem delent sub obscura conquisitione sui ipsius?

154. Non est supervacaneum recolere etiam in matrimonio sexualitatem fontem fieri posse doloris et fraudis. Hanc ob rem palam adfirmare debemus «usum matrimonii alteri coniugi impositum, nulla ratione habita eius status eiusque iustorum optatorum, non esse verum actum amoris, atque adeo iis adversari rebus, quas circa necessitudinem inter coniuges moralis recte postulat ordo»[156]. Actus proprii unionis sexualis coniugum naturae respondent sexualitatis quam Deus vult si modo vere humano exercentur[157]. Quam ob rem sanctus Paulus adhortabatur: «Ut ne quis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum» (1 Thess 4,6). Etiamsi ille in aetate quadam scripsit in qua patrisfamilias ordo pollebat, in qua femina creatura considerabatur viri prorsus obnoxia, tamen docuit sexualitatem quaestionem esse inter coniuges tractandam: facultatem etiam prospexit sexuale commercium ad aliud tempus differendi, tamen «ex consensu» (1 Cor 7,5).

155. Sanctus Ioannes Paulus II perquam acutum dedit monitum cum affirmaret virum et feminam «intemperantia teneri»[158]. Scilicet, ad coniunctionem vocantur magis in dies artam, sed

periculum adest ne dissimilitudines adimantur et necessarium illud spatium quod inter utrumque intercedit. Quoniam unusquisque propriam possidet dignitatem quae duplicari non potest. Cum mutua magni pretii pertinentia in dominationem transformatur, «mutatur [...] essentialiter structura communionis apud necessitudinem inter personas»^[159]. In dominationis ratione, etiam qui dominatur, ad negationem pervenit propriae dignitatis^[160] et in summa desinit «subiectivam identitatem cum proprio corpore habere»,^[161] cum id omni exuat ratione. Sexum tamquam effugium vivit et pulchritudini coniunctionis renuntiationem.

156. Magni est momenti ut palam dicatur quodvis genus sexualis servitutis esse abiciendum. Quapropter opportunum est omnem interpretationem non idoneam vitare textus Epistolae ad Ephesios in qua rogatur ut “mulieres viris suis subditae sint sicut Domino” (*Eph* 5,22). Sanctus Paulus hic culturales rationes sui temporis adhibet, sed nos non debemus idem culturale quoddam involucrum persequi, sed nuntium revelatum qui in universum in hoc textu subest. Sapientem iteramus explanationem sancti Ioannis Pauli II: «Amor quodvis genus submissionis excludit, ob quam uxor ancilla fieret vel serva mariti [...]. Communitas vel unitas quas ii ob matrimonium instituere debent, per mutuam efficitur donationem, quae est etiam mutua submitio»^[162]. Idcirco dicitur etiam: «et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua» (*Eph* 5,28). Revera textus biblicus ad superandum invitat commodum individualismum ad vitam in alios coversam agendam: «Subiecti invicem in timore Christi» (*Eph* 5,21). Inter coniuges haec mutua “submitio” peculiarem accipit rationem et intellegitur veluti mutua proprietas libere selecta, additis notis fidelitatis, observantiae et curae. Sexualitas amicitiae coniugali indissolubili modo inservit, cum illuc tendat ut alter in plenitudine vivat.

157. Attamen, eo quod depravatio sexualitatis et erotismi reicitur, id non debet umquam nos ducere ad ea despicienda vel negligenda. Perfecta matrimonii imago non potest fingi veluti liberalis laboriosaque donatio, ubi unusquisque cuivis personali renuntiat necessitati et sollicitus est tantummodo de bono alteri agendo sine ulla satisfactione. Memoramus verum amorem etiam ab altero excipere novisse, se ipsum accipere valere veluti vulnerabilem et egentem, non amittere ut recipiat sincero, felici gratoque animo corporis amoris signa in blanditia, in complexu atque in sexuali coniunctione. Ad hoc Benedictus XVI palam edicit: «Si vero solus spiritus homo esse studet cupitque carnem reicere veluti hereditatem ut ita dicamus tantum animalis propriam, tunc dignitatem suam tam spiritus quam corpus amittunt»^[163]. Idcirco «homo non potest vivere tantummodo de amore oblativo, descendente. Non valet semper solum donare, etiam recipere debet. Quicumque amorem donare vult, illum tamquam donum ipse recipiat oportet»^[164]. Hoc postulat, quovis modo, ut memoria teneatur humanam aequabilitatem infirmam esse, semper aliquid manere quod personae humanae obstet atque in quolibet momento iterum frangi possit, cum recuperet suas maxime primitivas et egoisticas inclinationes.

Matrimonium et virginitas

158. «Multae personae quae sine matrimonio vivunt non solum operam dant familiae originis, sed

saepe magna reddunt servitia suis in amicorum coetibus, in communitate ecclesiali et in vita professionali. [...] Multi, deinde, suas praebent facultates christianis inserviendis communitatibus in signo caritatis et voluntariae operositatis. Sunt postea etiam qui nuptias non concilient quia vitam amori Christi et fratrum consecrant. Eorum deditioe familia, in Ecclesia societateque, magnopere locupletatur»[165].

159. Virginitas est quaedam amoris forma. Ut signum, nobis sollicitudinem de Regno recolit, necessitatem sese tradendi sine condicionibus evangelizationi agenda (cfr *1 Cor 7,32*), atque imago est plenitudinis Caeli, ubi «neque nubent neque nubentur» (*Mt 22,30*). Sanctus Paulus ei suffragabatur quia impendentem reditum Iesu exspectabat atque volebat ut omnes operam evangelizationi tantummodo darent: «Tempus breviatum est» (*1 Cor 7,29*). Tamen plane patebat hanc ipsius esse sententiam eiusque desiderium (cfr *1 Cor 7,6-8*) et non Christi postulationem: «Praeceptum Domini non habeo» (*1 Cor 7,25*). Eodem tempore pondus diversarum vocationum agnoscebat: «Unusquisque proprium habet donum ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic» (*1 Cor 7,7*). Hac ratione sanctus [Ioannes Paulus II](#) adfirmavit biblicas sententias «argumentum non tribuere “minori ponderi” matrimonii neque “superiori ponderi” virginitatis vel caelibatus»[166] ob sexualem abstinentiam. Potius quam dicatur de superiore pondere virginitatis in omni specie, consentaneum videtur ostendere diversos status vitae inter se compleri ita ut hic quandam ob rationem, ille aliam ob rationem sit perfectior. Alexander de Hales, exempli gratia, adfirmabat quampiam ob rationem matrimonium considerari posse superius aliis sacramentis: «Significat enim coniunctionem Christi et Ecclesiae, vel unionem divinae naturae cum humana»[167].

160. Idcirco «non agitur de minuendo bono matrimonii pro continentia»[168] «neque adest quoddam fundamentum pro aliquo suspecto contrapposito [...]. Si quandam traditionem theologiam sequimur et de statu perfectionis loquimur, rem non ob ipsam continentiam facimus, sed ob totam vitam in consiliis evangelicis nisam»[169]. Tamen persona quae matrimonium inivit caritatem altissimo gradu vivere potest. Igitur «pervenit ad illam perfectionem quae e caritate oritur, per fidelitatem erga eorum consiliorum spiritum. Eiusmodi perfectio fieri potest et omni homo patet»[170].

161. Virginitas spectabile signum habet amoris cui non est necessitas alterum possidendi et hoc modo libertatem Regni Caelorum ostendit. Est adhortatio ad coniuges ut suum amorem conjugalem in prospectu amoris definiti Christi teneant, veluti commune iter ad plenitudinem Regni. Amor porro coniugum alia praebet symbolica bona: hinc peculiaris est imago Trinitatis. Trinitas revera plena est unitas, in qua tamen exstat etiam distinctio. Praeterea, familia christologica est signum, quia proximitatem Dei manifestat qui vitam cum homine communicat et cum eo in Incarnatione se coniungit, in Cruce atque in Resurrectione: quisque coniux «una sola caro» fit cum altero atque se ipsum offert ad eum communicandum totaliter cum altero usque in finem. Dum virginitas signum est “eschatologicum” Christi qui surrexit, matrimonium est signum “historicum” pro illis qui in terris deambulant, signum Christi terrestri qui accepit vinculum nobiscum et se ipsum usque ad sanguinem tradidit. Virginitas et matrimonium sunt, et oportet sint,

varii amandi modi, quia «homo sine amore vivere nequit. Sibimet manet quiddam, quod incomprehensibile est, eiusque vita sensu privatur, nisi amor ei praebetur»[\[171\]](#).

162. Caelibatus in discrimine versatur commodae solitudinis quae libertatem praebet ad se libere movendum, ad locum, munera et selectiones mutanda, ad propriam pecuniam ministrandam, ad diversas personas invisendas secundum temporis opportunitatem. Tali in re, testimonium coniugum splendet. Illi qui ad virginitatem vocati sunt, in quibusdam coniugibus conspicuum signum liberalis et stabilis fidelitatis Dei erga eius foedus reperire possunt, quod eorum corda ad certius promptiusque studium incitare potest. Etenim adsunt coniuges qui suam servant fidelitatem cum coniux iniucundus corpore factus est, vel cum earum necessitatibus non satisfacit, quamvis multae occasiones eos ad infidelitatem vel desertionem alliciant. Uxor suum potest aegrum maritum curare et ibi, iuxta Crucem, illud “sic” sui amoris usque ad mortem iterat. In eiusmodi amore mirum in modum dignitas manifestatur illius qui amat, dignitas veluti imago caritatis, cum proprium caritatis sit amare plus quam amari[\[172\]](#). Multis in familiis etiam copiam liberaliter blandeque serviendi erga difficiles filios, immo et ingratos reperire possumus. Hoc efficit ut eiusmodi parentes signum sint amoris liberi sincerique Iesu. Omnibus iis personae quae in caelibatu vivunt invitantur ut suam deditionem Regno studiosius operosiusque vivant. Hodie saecularium morum inductio bonum obscuravit coniunctionis totam in vitam atque ubertatem extenuavit oblationis matrimonialis, quam ob rem «oportet bona amoris coniugalis altius perpendantur»[\[173\]](#).

Amoris transfiguratio

163. Cum vita longior usque fiat, aliquid evenit quod aliis temporibus commune non erat: intima necessitudo et mutua proprietate oportet quattuor, quinque vel sex decenniis serventur, et hoc necessitatem secumfert se ipsos pluries eligendi. Forsitan coniux iam vehementiore desiderio sexuali non trahitur qui eum ad aliam moveat personam, sed delectamentum animadvertitur quia ad eam pertinet et ea ad eum, et quia scit se solum non esse, unum habere “participem” qui totam eius novit vitam eiusque historiam et omnia participat. Socius est in vitae itinere quocum fas est difficultates obire et de rebus pulchris laetari. Hoc etiam satisfactionem praebet quae proprium comitatur desiderium coniugalis amoris. Non possumus spondere nos totam per vitam eundem animum habituros. Tamen certissime possumus commune firmumque propositum habere, munus videlicet nos amandi necnon coniunctim vivendi usque ad mortem, et tenendi semper uberem intimitatem. Amor quem mutuo spondemus, omnem superat affectionem, sensum vel animi condicionem, licet possit ea complecti. Altior est dilectio cum cordis consilio quod totam amplectitur vitam. Ita, inter infinite certandum, licet multi sensus incompositi in corde versentur, unoquoque die vivum est consilium amandi, mutuo pertinendi, totam vitam simul participandi et se ipsos amandi et veniam sibi invicem dandi. Urterque iter crescendi et personalis mutationis perficit. Continuato in cursu, amor omnem gradum celebrat omnemque stationem.

164. In historia matrimonii, corporis species mutat, sed hanc ob causam amoris voluptas deseri

non debet. In totam personam amore capitur totam, quae propriam habet indolem, non solum quod pertinet ad corpus, quamvis eiusmodi corpus, ultra temporis detrimentum, ita ut numquam desinat aliquo modo significare illam personalem indolem, quae cor cepit. Cum alii iam non possunt pulchritudinem eiusmodi indolis agnoscere, coniux amore captus, amoris instinctu eam percipere valet, et affectus non recedit. Suum confirmat consilium ad eam pertinendi, eam iterum eligit et eiusmodi electionem per propinquitatem fidelem et teneritate plenam significat. Nobilitas eius consilii erga eam, cum sit vehemens altaque, novam concitat formam emotionum in coniugali missione adimplenda. Quia «motus ab alia persona inductus [...] per se ipsum ad actum coniugalem non tendit»^[174]. Alias sumit sensus significationes quia «amor denique unica res est, variis quamvis cum aspectibus; unus interdum vel alius aspectus magis emergere potest»^[175]. Vinculum novos invenit modos et deliberationes postulat rursus usque id sumendi ut firmius constituatur. Non solum tamen ut servetur, sed ut crescat. Est iter in diem aedificandum. Sed nulla ex iis rebus fieri potest si Spiritus Sanctus non invocatur, si unoquoque die non clamatur eius rogando gratiam, si eius vis supranaturalis non requiritur, si ab eo sollicitate non petitur ut suum ignem super nostrum effundat amorem ad eum roborandum, dirigendum et in unaquaqueque nova condicione transformandum.

CAPUT QUINTUM

AMOR FACTUS FECUNDUS

165. Amor semper fert vitam. Proinde, coniugalis amor non «expletur omnino intra ipsum par coniugum [...] coniuges, inter se dediti, ultra se donant filium ipsum, sui viventem amoris imaginem, perpetuum unitatis coniugalis signum necnon comprehensionem vivam et indissolubilem sui status, ex quo sunt pater et mater».^[176]

Novam recipere vitam

166. Familia est locus non modo generationis, sed etiam receptionis vitae, quae tamquam donum Dei procedit. Omnis vita nova «permittit, ut rationem gratuitissimam amoris comperiamur, quae vero incessanter admiratione nos afficit, pulchritudinem scilicet praevenientis amoris: filii enim amantur antequam nascuntur».^[177] Haec principatum enuntiant amoris Dei, qui omnium semper facit initium, quia filii «diliguntur antequam aliquid faciant, ut diligi mereant».^[178] Attamen, «pueri innumeri inde ab principio repudiantur, derelicti, infantia sua ac futuram aetatem despoliati. Audent quidam dicere, quasi ad suipsius excusationem, errorem illud fuisse, quod illi in lucem suscepti sunt. Hoc autem ignominiosum! [...] Quid de sollemnibus declarationibus iurium hominum aut iurium puerorum, si vero coercemus pueros propter errores adultorum?».^[179] Si puer quidam gignitur inoptatus, parentibus aliisque membris familiae omnia experienda sunt, ut eum accipiant tamquam donum Dei et obligationes sumant eiusdem prompto et amanti animo accipiendi. Nam, «cum agitur de pueris nascentibus, nullus adultorum labor nimis impensus vel magnus aestimatur, dummodo quivis puer arceatur ne errorem se esse credat vel pro nihilo putari vel vulneribus vitae

et hominum tradi iniuriis». [180] Donum novi filii, quem Dominus patri et matri concredit, ab eiusdem acceptione incipit, per tutelam in mundo prosequitur et finem ultimum habet gaudium vitae aeternae. Aequus intuitus consummationis personae humanae magis magisque admonebit parentes de summi pretii dono iisdem commisso: Deus, enim, parentibus concedit, ut deligant nomen, quo Ipse suum quemque filium nuncupabit in aeternum. [181]

167. Multae prolis familiis gaudet Ecclesia. In iis amor uberem suam exprimit fecunditatem. Quod autem secum haud fert, ut sanus monitus [sancti Ioannis Pauli II](#) ex memoria deponatur, cum doceret responsalem paternitatem non esse «procreationem infinitam vel defectum cognitionis elementorum, quae ad institutionem filiorum pertinent, sed potius facultatem esse coniugum inviolabilis eorum libertatis prudenter officioseque adhibendae, rebus socialibus ac demographicis aequis atque adiunctis et optatis propriis attentis». [182]

Amor exspectandae praegnationis

168. Perdifficile et mirum simul tempus praegnationis. Mater Deo coniungitur, ut prodigium vitae novae fiat. Manat maternitas e «speciali facultate corporis feminini, quod creatrice peculiaritate conceptioni hominisque generationi inservit». [183] Mulier quaeque illud communicat «mysterium creationis, quae in humana generatione resumitur»; [184] et rite Psalmus dicit: «Contexuisti me in utero matris meae» (139, 13). Quisque puer in utero matris suae concrescens perpetuum Dei Patris et sempiterni eius amoris est consilium: «Priusquam te formarem in utero, novi te et, antequam exires de vulva, sanctificavi te et prophetam gentibus dedi te» (Jer 1, 5). Quisque puer est in Dei corde ab aeterno, cuius somnium aeternum tempore conceptionis perficitur. Perpendamus quantam coalescens illud germen vitae possideat dignitatem inde a conceptione. Oportet ergo eum contueri iisdem oculis quibus Pater, cuius intuitus universam formam superat.

169. Mulier praegnans hoc divinum consilium communicare potest in filii sui exspectatione: «Omnes matres omnesque patres novem menses filium suum mente somniant. [...] Nulla est familia sine somnio. Amissa in familia facultate somniandi, neque pueri crescunt neque amor crescit atque vita ipsa languescit et estinguitur». [185] Hoc intra somnium coniugibus christianis Baptismum necessario apparet. Quod parentes oratione, filium suum iam ante ortum Iesu commendantes, comparant.

170. Progressarum scientiarum subsidio colorem crinis nascituri hodie praecognoscere possumus et infirmitates, quibus laborabit aliquando, cum omnes corporales illius personae qualitates inscriptae sint in codice eius genetico, iam in eius embryonali statu. Pater dumtaxat, qui eum creavit, plenitudinem eius cognoscit. Ipse solus cognoscit quid sit pretiosissimum, quid praestantissimum, cum Ipse solus comperiat qui puer iste sit, quaenam altissima identitas. Matri, quae eum in gremio portat, necesse est petere a Deo lucem, ut filium suum altius cognoscat eumque eiusmodi qualiscumque sit exspectet. Parentes quidam filium suum tempore minime apto nasci percipiunt. Oportet a Domino expetant ut sanentur ac roborentur, ad filium illum omnibus ex

partibus recipiendum amanterque expectandum. Praestat utique ut puer ille animadvertat se exspectari: ille enim non est appendix nec expeditum alicuius animi inquietudinis; humanus est, immensa ergo praeditus dignitate, quapropter nullo modo privato alicuius emolumento potest inservire. Proinde, nihil interest utrum vita haec nova augescens tibi proficiat necne, utrum proprietates tibi placitas habeat necne, utrum consiliis optatisve tuis congruat necne. Nam, «filii donum sunt; et quisque eorum unus et incomparabilis [...] Filius amatur quia talis, non quia pulcher vel huius illiusve formae, sed omnino quia filius est, minime quia eadem quae ego cogitat vel voluntati meae satisfacit. Filius est filius».[186] Amor parentum instrumentum est amoris Dei Patris, qui ortum cuiusque filii comiter exspectat eumque sine condicionibus admittit et gratuito accipit.

171. Volumus unicuique praegnanti mulieri paterne hoc suadere: indulge laetitiae tuae, nihil interius maternitatis gaudium tibi auferat. Puer iste laetitiam tuam meretur. Noli sinere ut timores vel negotia vel vaniloquentia hominum vel aerumnae hanc deleant felicitatem, quia facta es instrumentum divinum ad novam vitam in mundum ferendam. Omnia cura, quae facienda vel comparanda sunt, sine autem perturbatione animi, et laudem sicuti Maria extolle: «Magnificat anima mea Dominum et exsultavit spiritus meus in Deo salvatore meo, quia respexit humilitatem ancillae suae» (Lc 1, 45-48). Tranquillum cordis studium excole inter incommoda et praecare Dominum ut laetitiam tuam tueatur, ut vicissim puero tuo eam tradas.

Maternus et paternus amor

172. «Pueri modo nati quasi donum una cum alimonia et curis confirmationem recipiunt qualitatum spiritualium amoris. Actus amoris per donum nominis procedunt, per communicationem verborum, per oculorum consilia, per lumina risus. Sic discunt pulchritudinem vinculi inter homines animam nostram afficere, libertatem nostram anquirere, alterius diversitatem accipere eumque collocutorem agnoscere ac vereri [...] et hoc est amor, qui amoris Dei secum fert favillam».[187] Omnis puer ius habet amorem patris et matris accipiendi, qui ambo ad plenam eius et compositam maturitatem necessarii sunt. Sicut Episcopi Australiae dixerunt, uterque «aliquid affert, pro se quisque praecipue, ad proventum pueri. Pueri servare dignitatem secum importat eius confirmare necessitatem eiusque naturale ius matrem et patrem habendi».[188] Non agitur quidem de discreto amore patris et matris, sed vero de amore inter eos, qui fons propriae existentiae, qui recipiens nidus ac familiae fundamentum habetur. Contra filius in libidinosum mancipium dilabi videtur. Ambo, vir et mulier, pater et mater, sunt «cooperatores amoris Dei Creatoris eiusque veluti interpretes».[189]

Filiis suis faciem maternam et paternam Domini pandunt. Praeterea, docent simul bonum mutuae conversationis, dissimilium communicationis, in quam quisque indolis suae peculiaritatem affert et ex alio haurire scit. Si alteruter quadam ex ratione necessario deficit, tum magni est momenti quodammodo huic defectioni subvenire ad aptam filii maturitatem fovendam.

173. Orphanorum condicionis sensus, quem multi hodie pueri et iuvenes experiuntur, altior est quam ut opinari possimus. Perlegitimum hodie perspicimus et immo exoptandum, quod mulieres studere laboremque ac facultates suas exercere et fines proprios colere volunt. Eodem autem tempore nullo modo puerorum ignorare possumus necessitatem, praesertim primis vitae mensibus, maternae praesentiae. Revera «mulier homini se exhibet matrem, subiectum scilicet novae vitae humanae, quae concipitur in ea et crescit, et e qua in mundum oritur».[190] Deminutio praesentiae maternae una et eiusdem muliebrium proprietatum grave nostro mundo periculum conflat. Feminismum aestimamus, cum neque uniformitatem neque maternitatem negandam poscit. Nam, altitudo mulieris omnia postulat iura inviolabili ex eius humana dignitate, sicut et ex eius muliebri ingenio humano consortio pernecessario manantia. Peculiares eius muliebres qualitates - praesertim maternitas - officia ei etiam imponunt, quandoquidem mulieris condicio missionem quandam praecipuam in hoc mundo complectitur, quam humanae societati custodire ac servare opus est ad communem utilitatem[191].

174. Revera, «matres validissimum remedium suppeditant contra individualismum proprium commodum affectantem [...] Quae testimonium praebent vitae pulchritudinis».[192] Procul dubio, «societas sine matribus inhumana esset, cum matres semper, pessimis etiam in rerum adiunctis, suavitatem, navitatem, firmitatem profiteri valeant. Matres altissimum saepius tradunt religiosae pietatis sensum, sicut in primordiis orationum et actuum devotionis, quas puer discit [...] Sine matribus non modo novi christifideles deessent, sed fides ipsa magnam partem amitteret fervoris sui simplicis simul et profundi [...] Matres dilectissimae, gratias, gratias agimus propter quod in familia estis atque Ecclesiae ac mundo largimini».[193]

175. Mater, quae puerum suum leniter ac misericorditer tuetur, eum adiuvat, ut fiduciam cumulet atque experiatur mundum bonum esse habitaculum, quod vero sinit eum sui ipsius aestimationem augere, quae virtutem concitat interioris cognitionis habendae et alterius animi communicandi. Ceterum patris imago adiuvat eum, ut limites rerum percipiat, atque magis denotatur propter iter, propter in ampliorem ditioemque provocationibus mundum exitum, propter incitamentum ad labores et certamen. Pater clara quadam ac felici masculina natura praeditus, qui vicissim sua cum muliere sociare sibi valeat dilectionem simul et temperantiam, tam necessarius est quam maternae curae. Munera exstant et officia, quae accommodari possunt atque certis uniuscuiusque familiae adiunctis aptari, sed praesentia manifesta et plane definita duarum imaginum, alterius femineae alterius masculinae, locum magis idoneum ad maturitatem pueri obtinendam instituit.

176. Nostra societas «sine patribus societas» dicitur. Ad cultum et humanitatem Occidentis, patris imago symbolice absens esse, depravata, evanida videtur. Virilitas ipsa in dubium vocari videtur. Plana exserta est confusio, quia «primum hoc perceptum est uti liberatio quaedam, a patre scilicet domino, a patre vicario legis ab extrinseco impositae, a patre censore felicitatis filiorum et obice emancipationis ac libertatis iuvenum. Aliquibus in domibus quandoque olim immodicus imperabat dominatus, nonnumquam etiam vexatio».[194] Attamen «uti saepenumero fit, ab extremo transitur ad aliud. Difficultas nostrae aetatis non tam praepotens patris videtur praesentia, quam potius eius

absentia, eius latitatio. Patres quandoque in se ipsi et industriam suam atque interdum in privata negotia propria adeo intenti sunt, ut suae obliviscantur familiae. Quapropter pueros iuvenesque negligunt». [195] Praesentia patris, ideoque eius auctoritas, plus plusque afficitur tempore quod instrumentis communicationis, technologiae necnon oblectamenti dicatur. Ex auctoritate praeterea suspiciones hodie trahuntur adultique persevere impugnati sunt. Fide destituti, filiis suis nihil certi vel firmi demonstrant. Insanum est partes patrum et filiorum commutari: quod idoneum iter maturitatis laedit, quod pueris est faciendum iisdemque moderantem amorem negat illum, qui eos adiuvat ad maturitatem assequendam. [196]

177. Deus patrem in familia constituit, ut per praestantiores illas virtutes virilitatis «proximus sit uxori, ad omnia, laetitia scilicet ac dolores aerumnasque ac spes, cum ea communicanda. Et propinquus sit filiis eorum progrediente aetate, cum ludunt et cum operantur, cum vacant et cum aegritudine afficiuntur, cum loquuntur et cum silent, cum audent et cum timent, cum a proposito aberrant et cum veram viam repetunt: patrem adesse oportet semper. 'Adesse' tamen non est idem ac 'incumbere'. Nam, patres qui nimis incumbunt filios delent». [197] Patres quidam percipiunt se inutiles vel supervacuos esse, sed revera «filii prompto egent patre, qui eos ab erroribus resilientes praestoletur: omnia experientur, ne hoc admittant neque ostendant, quo autem sane egent». [198] Bonum non est parvulos patre carere ipsosque ante tempus parvulos esse desinere.

Amplificata fecunditas

178. Complures coniuges filios parere nequeunt. Scimus quantam aegritudinem hoc secum ferat. Ceterum hoc scimus: «Matrimonium non est tantum ad procreationem institutum [...] Ideo, etsi proles, tam optata, saepius deficit, matrimonium ut totius vitae consuetudo et communio perseverat suumque valorem atque indissolubilitatem servat». [199] Insuper, «maternitas res non est tantum biologica, cum diversis in modis exprimatur». [200]

179. Adoptio via est ad maternitatem paternitatemque munificentissime perficiendas, et iis animum addere volumus, qui filios parere non possunt, ut largi sint amoremque coniugalem suum iis recipiendis pandant, qui congruo orbatu sunt lare: numquam munificos se fuisse querentur. Adoptio actus est amoris, quo familia datur iis, qui ea carent. Maxime instandum est, ut instituta iuris cursum adoptionis expediant, praesertim in casibus filiorum inoptatorum, ut caveatur ne abortus et reiectiones admittantur. Qui provocationem accipiunt adoptandi et quemdam plene ac gratuito amplectuntur, mediatores fiunt divini illius amoris, qui dicit: «Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui» (*Is* 49, 15).

180. «Adoptionis acceptionisque electio peculiarem enuntiat fecunditatem coniugii, ultra casus illos, qui dolenti sterilitate notantur [...] Illis coram rerum adiunctis cum filius omni ratione appetitur, quasi si ius sit sui ipsius dignitatis asseverandae, adoptio et acceptio, recte perspectae, et paternae et filialis pietatis exhibent cardinem, quia agnoscere adiuvant filios sive naturales sive

adoptatos vel acceptos in se quiddam esse novi eosdemque opus esse accipere atque amare necnon colere, non modo partum eniti. Pueri commodum semper praevaleat oportet in negotiis adoptionis et acceptionis».[201] Porro autem «commercium puerorum omnino est prohibendum inter nationes et continentes, congruis adhibitis institutis legis et inspectionibus intervenientibus publicis».[202]

181. Convenit insuper procreationem vel adoptionem reminisci unas fecunditatis amoris experiendae non esse vias. Etiam familia multis ditata filiis ad imprimendum vestigium suum vocatur in societate ubi adest, ut fecunditatis alias explicet formas quasi amorem illum proferentes, qui eam sustentat. Familiae christianae ne obliviscantur «fidem nos minime a mundo alienare, sed in eum altius immergere [...] Quisque nostrum peculiarem munus habet absolvendum de Regni Dei adventu parando».[203] Familia minime putare se debet uti claustrum, contra societatem videlicet praesidium. Nullo modo cunctatur, sed extra procedit ad societatem adipiscendam. Sic locus fit personae cum societate communicandae et consistorium publici et privati. Coniuges oportet plane certeque sint conscii de socialibus officiis. Cum istud fit, animi affectio eosdem iugans, minime extenuatur, sed novo lumine repletur, sicut versiculi exprimunt qui sequuntur:

*«Manus tuae mihi blanditiae,
cotidiani mei concentus.
Amo te quia tuae manus
operantur iustitiae.
Amo te quia mihi es
amor mihique conscia et omnia
coniunctisque passibus, in via,
duobus multo magis».*[204]

182. Nulla familia fecunda esse potest, cum se nimis diversam vel seiunctam effingit. Ad hoc periculum vitandum, familiam Iesu memoramus gratia et prudentia plenam, quae “insolita” non habebatur familia, domus aliena et a populo seiuncta. Quam ob causam homines non sine difficultate sapientiam agnoscebant Iesu, qui aiebant «Unde huic haec [...] ? Nonne iste est faber, filius Mariae?» (Mc 6, 2. 3); et «Nonne hic est fabri filius?» (Mt 13, 55). Haec confirmant eam tenuem fuisse familiam, omnium proximam, communiter inter populum versantem. Neque Iesus restrictis vel exclusoriis in consuetudinibus coaluit cum Maria et Ioseph, sed in amplificata quadam familia libenter aetatem exigebat, ubi familiares et amici erant. Quae pandunt etiam parentes eius, in Hierusalem redeuntes, indulsisse, ut puer duodecim annorum toto die in comitatu pererraret, narrationes auscultans omniumque communicans curas: «Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei» (Lc 2, 44). Fit tamen quandoque, ut familiae quaedam christianae, ob eloquium quo utuntur, propter modos loquendi agendique mores et reduplicatam sermocinationem, alienae esse videantur, a societate seclusae, et earum etiam iidem propinqui se despectos vel ab illis iudicatos percipiant.

183. Coniugum par amoris vim experiens, scit huiusmodi amorem ad vulnera derelictorum sananda, ad humanum cultum occursus instaurandum, pro iustitia ad certandum vocari. Deus familiae consilium commisit mundum 'domesticum' efficiendi, [205] ut omnes hominem quemquem fratrem haberent: «Attentus cotidianae vitae hominum mulierumque aetatis nostrae intuitus protinus ostendit opus esse ubique valida spiritus familiaris iniectione [...] Non modo composita vita communis in grapheocratia plus plusque haeret, quae a praecipuis hominum vinculis prorsus dissidet, sed vel mores ad rem sociale et politicam pertinentes detrimenti saepius manifestant signa». [206] Sed contra familiae promptae ac adiutrices pauperibus obviam veniunt et amicitias contrahere valent cum iis quae acerbior utuntur fortuna. Si revera iis Evangelii est cura, nullo modo oblivisci possunt illorum Iesu verborum: «Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (Mt 25, 40). Vivunt tandem quod perquam perspicue mandatum est nobis in his verbis: «Cum facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos neque cognatos neque vicinos divites, ne forte et ipsi te reinvitent et fiat tibi retributio; sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, caecos, et beatus eris» (Lc 14, 12-14). Beatus eris! Ecce felicitis familiae arcanum.

184. Testimonio sicut et verbo de Iesu familiae alios adloquuntur, fidem tradunt, desiderium Dei suscitant ac decus Evangelii conversationisque, quae proponitur, ostendunt. Sic christiani coniuges caliginem publici spatii fraternitatis, socialis sensus, humilium tutelae, fulgidae fidei speique operosae coloribus pingunt. Eorum fecunditas amplificatur et multiplicatas transit in species, quibus amor Dei in societate perluceat.

Discretio corporis

185. Ad hanc rationem consentaneum videtur textum biblicum serio animo intueri, qui e complexu narrationis depromptus vel summatim solitus est intellegi, quapropter praesentior rectorque sensus negligi potest, ad rem sociale maxime vergens. Agitur de sententiis epistolae 1 Cor 11, 17-34, ubi Sanctus Paulus de turpi quadam communitatis condicione disserit. Hac de re personae divites, pauperes distrahere studebant et hoc fiebat etiam in convivio illo, quod celebrationem eucharisticam comitabatur. Dum divites splendide epulabantur, pauperes conspicientes esuriebant: «alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis et confunditis eos, qui non habent?» (1 Cor 11, 21-22).

186. Eucharistia ut ecclesiale corpus in unum confluat secum fert. Qui ad Christi corpus sanguinemque accedit eadem opera idem illud corpus ledere non potest, membra ignominiose distrahens eaque segregans. Agitur namque de Domini Corpore "discernendo", de eo per fidem caritatemque agnoscendo, tam in sacramentorum quam communitatis signis, alioquin propria damnatio editur ac bibitur (cf. v. 29). Textus hic Sacrae Scripturae severum est familiis monitum, quae in commoditatis suae oblectamenta se concludunt seseque abdunt, nominatim familiis iis, quae non moventur coram familiarum pauperum egentiorumque angustiis. Celebratio eucharistica

sic perpetuum uniuscuiusque fit incitamentum, ut quisque «probet seipsum» (v. 28), utque propriae familiae fores maiori communioni aperiant cum segregatis ab omni humano consortio et utique eucharistici amoris recipiatur sacramentum nos unum corpus efficiens. Ne obliviscamur: «sacramenti 'mystica' natura socialem rationem secum fert»^[207]. Cum communicantes in pauperes dolentesque se moveri non patiuntur, vel varias seiunctionis contemptionisque et iniquitatis species perferunt, tum Eucharistia indigne recipitur. Familiae autem, quae caelesti alimonia aptiore animi voluntate reficiuntur, studium suum fraternitatis, sensum socialem et officium erga egenos corroborant.

In magna familia vita

187. Familiam parvam secedi minime oportet a maiore, cuius sunt parentes, patrum avunculique, sobrini et ipsi proximi. Hac in maiore familia quidam auxilium vel saltem comitatum gestusve amicitiae desiderare possunt vel magnis affici tormentis, quae quandam postulant consolationem.^[208] Nostrae aetatis individualismus interdum efficit ut in securo nidulo quodam delitescamus aliosque molesti instar percipiamus periculi. Attamen solitudo haec ampliorem non praebet pacem neque felicitatem, sed cor familiae obserat eamque a vitae plenitudine abducit.

Filii condicio

188. Primum de parentibus nostris loquamur. Iesus pharisaeos commonebat alienationem parentum irritum facere praeceptum Dei (cfr *Mc* 7, 8-13). Neminem conscientiam se esse filium amittere iuvat. In quovis homine «licet adultus fiat aut senex, etiam si pater fiat vel eximio fungatur officio, haec infra omnia natura filii persistit. Omnes filii sumus. Hoc vero nos semper eo revocat, quod vitam nobis non dedimus ipsi, sed accepimus: magnum donum vitae primum est munus, quo donati sumus».^[209]

189. Hanc ob rem «quartum mandatum a filiis petiit, ut pater et mater honorentur (cfr *Ex* 20, 12). Quod continuo post mandata ipsum Deum respicientia locatur. Nam, sacrum, divinum quiddam, aliquid radicitus inhaerens cuivis alii mutuo honori inter homines complectitur. Et vero in textu biblico quarti huius mandati adicitur: «ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi». Vinculum rectum inter generationes pignus futuri est et vere humanae historiae. Societas filiorum, qui patres haud honorant, societas est absque honore [...] Societas haec est iuvenes asperos avidosque complexura».^[210]

190. Aversam autem nomisma idem habet partem: «relinquet vir – dicit Dei Verbum – patrem suum et matrem» (*Gn* 2, 24). Quod tamen quandoque haud perficitur et matrimonium funditus non sumitur, quia id non completur idque studium non perficitur. Parentes neque deserere neque negligi opus est, a quibus autem discedendum est, ut coniuges matrimonio iungantur et nova domus habitaculum, praesidium, structura et propositum fiat atque «in carnem unam» (*ibid.*) re convertantur. Aliquibus in matrimoniis evenit, ut multa de coniuge celentur, quae autem propriis

parentibus manifestantur, ita ut plus parentum polleant sententiae quam coniugis. Haud facile est hoc diutius perferre, quod vero transitorie tantum fieri potest, dum condiciones instituuntur fiduciae et communicationis cumulandae. In novos filios matrimonium nos provocat.

Senes

191. «Ne proicias me in tempore senectutis; cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me» (*Ps* 71, 9). Senis hic est clamor, qui veretur ne in oblivionem veniat et reiciatur. Quemadmodum Deus nos hortatur, ut eius simus instrumenta ad pauperum audiendas preces, ita et ipse exspectat, ut senum clamorem captemus.^[211] Hoc familias et communitates percontatur, quia «Ecclesia nec potest nec vult erga senectutem intoleranti menti, nedum indifferenti aspernantique concedere. Nos sensum communem gratiae aestimationisque et hospitalitatis concitare oportet, quibus senex se vivam esse partem suae communitatis animadvertat. Senes viri virique sunt patresque et matres, qui nos in eadem via et in eadem domo et in eodem cotidiano certamine pro dignitate vitae praecesserunt».^[212] Proinde, «quam velimus reiectionis cultui obsistat Ecclesia, per supereffluentem laetitiam novi iuvenum cum senibus amplexus!».^[213]

192. Sanctus Ioannes Paulus II nos cohortatus est, ut locum senis in familia observemus, cum humani sint cultus formae, quae «ob confusam progressionem machinalis industriae et urbium densati incolatus perdixerunt atque etiamnunc senes perducunt ad intolerandas exclusionis formas».^[214] Senes nobis opem ferunt, ut «continuationem generationum per gratiam dilacerationes resarciendi» percipiamus.^[215] Saepius avi pignora virtutum maiorum nepotibus praestant et «multi confiteri possunt se initiationem christianam suam avis adscribere».^[216] Verba, blanditiae vel etiam eorum tantum praesentia adiuvant, ut pueri animadvertant historiam a se non incohari atque se heredes esse longi itineris, necnon superiora esse servanda. Quisquis nexus cum historia exsolvit a firmis consuetudinibus instituendis atque a rerum se non potiri agnoscendo laborabit. Igitur, «senum cura humani civilisque cultus cuiusvis demonstrat qualitatem. Consulitne senibus humanus cultus civilisque? Patetne senibus locus? Humanus hic cultus tantum progredietur quantum prudentiae senumque sapientiae servare valebit».^[217]

193. Nostra quidem societas historiae memoria prorsus caret. Praepostera est mens illius, 'iam transivit'. Cognoscere et consilium de praeteritis capere una est facultas prudentis futuri exstruendi. Non datur educatio nisi memoria suffulta: «Rememoramini autem pristinos dies» (*Heb* 10, 32). Narrationes senum bene faciunt pueris iuvenibusque, cum eos historiae sive a familia sive a vico sive ab ipsa urbe actae coniungant. Familia avos aspernens vel negligens, qui eiusdem viva sunt memoria, est disiecta; familia autem memoriam colens posteritatem secum fert. Itaque, «si humanus civilisque adest cultus, qui senes non complectitur aut eos abicit, quippe qui difficultates afferant, haec societas mortiferum venenum secum gerit»,^[218] quia «seipsam a suis evellit radicibus».^[219] Eo quod orbitate quadam hodierni animi afficiuntur, quae intermissionem, et amissas certitudines, familiam fingentes, id studium in nos concitat ut familias nostras efficiamus locum, ubi communis historiae fundamento pueri inniti valeant.

Fratres esse

194. Consuetudo inter fratres progrediente tempore altior fit et «fraternitatis vinculum, quo in familia filii devinciuntur, si sub signo urbanae humanitatis erga proximum constituitur, libertatis pacisque summa instituitur schola. Intra familiam humanus convictus inter fratres discitur [...] Quod autem non semper nobis consciis evenit, sed revera familia ipsa fraternitatem in mundum infert. Hoc ex primo usu fraternitatis, affectibus et familiari educatione suffulto, mos fraternitatis quasi pignus universam societatem irradiat».[220]

195. Coalescere cum fratribus optimam mutuae cuiusdam curae praebet facultatem, qua scilicet adiuvamus simul et adiuvamur. Igitur, «fraternitas in familia tum peculiariter elucet, cum sollicitudinem patientiamque et affectum videmus, quibus saepiuntur fraterculus sororculave debiliores, aegri vel inhabiles».[221] Confitendum est «fratrem, sororem habere, qui te diligit, experientiam esse magnam, pretiosam, unicam».[222] sed filii edocendi sunt, ut sese tamquam fratres prosequantur. Quod tirocinium, interdum laboriosum, vera est schola socialitatis. Aliquibus in Nationibus pollens exstat ad unum filium pariendum inclinatio, quam ob rem fraternitas rarescere coepit. Si usu venit ut unus filius tantum generari possit, opus erit exquirere quomodo vitari possit, ne puer solus vel solitarius crescat.

Cor magnum

196. Super parvam coniugum eorundemque filiorum coronam aucta stat familia, quae nullo modo praetermitti potest. Nam, «amor inter virum et mulierem in matrimonio et, ratione inde manante et amplificata, amor inter ipsius familiae participes — inter parentes ac filios, inter fratres et sorores, inter propinquos et familiares — animatur atque impellitur intimo perennique vigore dinamico, qui familiam perducit ad communionem in dies arctiorem impensioemque, quae est fundamentum et vis communitatis coniugalis et familiaris».[223] Huic etiam amici sunt ac familiae amicae subiciendae simul et communitates familiarum, quae invicem in difficultatibus, in sociali navitate atque in fide suffulciuntur.

197. Amplificata haec familia oporteret puellas matres amantius accipiat atque pueros parentibus carentes, mulieres solas, quarum est educationem filiis tradere, inhabiles personas quae peculiari dilectionis assiduitatisque officio prosequendae sunt, iuvenes qui a quibusdam pravis moribus se eripere conantur, eos qui in matrimonio collocati non sunt vel a coniugio discesserunt vel viduati solitudine excruciantur, senesque et infirmos a nullo sustentatos filio, adusque «propter mores vitae vel perditissimos» complectendos.[224] Hoc etiam iuvare potest ut fragilitati intellegendae parentum subveniatur vel saevitiae licentiaeque contra pueros tempestive detegantur et arguantur, dum eis sanus amor familiareque subsidium tribuitur, quae parentes suppeditare nequeunt.

198. Illud oblivione extinguere demum non potest hac in amplificata familia socerum etiam socrumque esse et omnes coniugis adfines. Urbanitas quaedam est amoris cavere, ne qui

tamquam aemuli vel periculosi vel ereptores quoque videantur. Coniugale vinculum exposcit, ut eorum traditiones ac mores colantur eloquiumque sollicite intellegatur vituperationesque coerceantur et ipsi curentur ac quodammodo corde excipiantur, etiam cum tuenda est legitima libertas et intima coniugum consuetudo. Agendi his modis liberalitas studiosae dilectionis in proprium coniugem manifestatur.

CAPUT SEXTUM

QUIDAM PASTORALES PROSPECTUS

199. Dialogi synodalis itineris duxerunt ad prospectandam necessitatem explicandi nova itinera pastoralia, quae conabimur nunc summam complecti. Singulae communitates curabunt perficiendas propositiones aptiores et efficaciores, quae considerent tum Ecclesiae magisterium tum locales necessitates et provocationes. Non praesumimus hic praebere familiae pastorem curam, tantum quasdam praecipuas pastores provocationes colligere volumus.

Familiae Evangelium hodie nuntiandum

200. Patres synodales instanter asseruerunt familias christianas, per gratiam nuptialis sacramenti, principalia esse subiecta curae pastoralis familiaris, ante omnia afferentes “laetam testificationem coniugum familiarumque, ecclesiarum domesticarum”. [225] Quapropter affirmaverunt “de experiendo familiae Evangelium gaudio agi quod “replet cor totamque vitam”, quoniam in Christo “sumus liberati a peccato, a moestitia, ab interiore vacuitate et solitudine” (*Evangelii gaudium*, 1). Parabolae de seminatore sub lumine (cfr *Mt* 13,3-9), nostrum munus est in seminatione cooperari: ceterum opera est Dei. Haud obliviscendum est Ecclesiam, quae de familia praedicat, signum esse contradictionis”, [226] sed coniuges magni aestimant Pastores sibi afferre rationes ad animosam amoris fortis, solidi, duraturi sponsionem, qui sustinere valeat ea omnia quae iis procedente tempore obveniunt. Ecclesia studet attingere familias per humilem intellectionem, et eius desiderium est “comitari singulas et cunctas familias ut reperiant meliorem modum difficultates superandi quas inveniunt in suo itinere”. [227] Non sufficit includere quandam genericam sollicitudinem de familia in magna pastoralia incepta. Quo familiae magis magisque subiecta activa familiaris curae pastoralis efficiantur, requiritur “conatus evangelizationis et catechesis conversus in familiam”, [228] qui eam in hoc iter dirigat.

201. “Quocirca ab omni Ecclesia missionaria conversio requiritur: necesse est ne sistat in nuntio mere theorico alienoque a veris personarum quastionibus”. [229] Pastoralis cura familiaris “experiri sinat oportet familiae Evangelium humanae personae altioribus exspectationibus respondere: eius dignitati plenaeque completioni in reciprocitate, in communione et in fecunditate. Non agitur solum de norma quadam praebenda, sed de bonis proponendis, huiusmodi bonorum necessitati respondendo quae hodie comperitur, etiam in nationibus magis saecularizatis”. [230] Similiter “extollebatur necessitas evangelizationis quae culturae, rei socialis, politicae et oeconomicae

constrictiones sincere denuntiaret, sicut etiam nimium locum mercandi rationibus concessum, quae obstant verae vitae familiari, cum secum ferant discriminationes, paupertatem, exclusiones et violentiam. Quapropter oportet dialogum instituere et cooperationem cum structuris socialibus, sicut etiam animum addere ac sustinere laicos qui involvuntur tamquam christiani in ambitu culturali, sociali et politico”. [231]

202. “Multum praecipuumque ad curam pastorem familiarem confert paroecia, quae est familia familiarum, ubi apte contrahuntur ea quae comportant parvae communitates, motus et consociationes ecclesiales. [232] Una cum pastoralis cura praecipue versa ad familias, proponitur nobis necessitas ut praebeatur “institutio magis congrua presbyteris, diaconis, religiosi viris et mulieribus, catechistis aliisque agentibus pastoralibus”. [233] Inter responsiones consultationum in universum orbem missarum intellectum est ministros ordinatos saepe congrua institutione carere ad familiarum implicatas difficultates hodie tractandas. Qua de re utilis esse potest etiam experientia diuturnae traditionis orientalis sacerdotum uxorum.

203. Seminarii alumni accedant oportet ad ampliorem interdisciplinarem formationem super sponsalibus et matrimonio, ac non tantum ad doctrinam. Insuper, institutio haud semper sinit ut expriment ii suum animum psychicum et affectuum. Nonnulli ferunt sua in vita experientiam propriae familiae vulneratae, cum absentia parentum et inconstantia commotionum animi. Tempore formationis praestanda est maturitas ut futuri ministri habeant aequabilitatem psychicam qua indiget eorum munus. Familiaria vincula sunt praecipua ad firmandam sanam sui aestimationem seminarii tironum. Quapropter magni est ponderis familias comitari totum cursum seminarii et sacerdotii, quoniam adiuvant eum reapse roborare. Hac de re salutaris est coniunctio cuiusdam temporis vitae in seminario ac pariter in paroeciis, quod sinit magis attingere re familias. Nam per cursum suae vitae pastoralis sacerdos convenit ante omnia familias. “Praesentia laicorum et familiarum, potissimum praesentia feminarum, in presbyteris instituendis favet aestimationi varietatis et complementarietatis diversarum vocationum in Ecclesia”. [234]

204. Responsiones ad consultationes manifestant instanter etiam necessitatem ut instituantur laici operatores pro pastoralis cura familiari, adiuvantibus psychopaedagogis, medicis familiarum, medicis communitatum, assistentibus socialibus, advocatis minorum et familiae, dato quippe loco recipiendi ea quae psychologia, sociologia, sexuologia conferunt et incluso ita dicto *counseling*. Periti, praecipue ii qui experientia pollent comitandi, adiuvant ad propositiones pastorales in condiciones reales inque veras familiarum sollicitudines inferendas. “Itinera et institutionis curricula, quae pastoralibus operatoribus peculiariter destinantur, poterunt eos reddere idoneos ut includant idem iter praeparationis ad matrimonium in vitae ecclesialis copiosorem vim”. [235] Proba pastoralis institutio est magni momenti “etiam quod ad peculiare insolitorum eventuum condiciones attinet, cum casus violentiae domesticae et sexualis abusus inveniuntur”. [236] Haec omnia nullo modo minuunt, immo etiam confirmant praecipuum bonum spiritualis moderationis, inaestimabilium spiritalium Ecclesiae subsidiorum ac reconciliationis sacramentalis.

Sponsi matrimonium contracturi sustinendi

205. Patres synodales affirmaverunt diversis modis adiuvandos esse iuvenes ut bonum ac divitias matrimonii detegant. [237] Percipere valeant oportet amoenitatem arti vinculi quae elevat et perficit socialem rationem existentiae, tribuit sexualitati plenissimum sensum, simulque fovet bonum filiorum iisque pro eorum maturitate educationeque potiora praebet.

206. “Implicata realitas socialis et provocationes quibus familia debet hodie occurrere requirunt maius studium totius christianae communitatis ad praeparationem sponsorum ad matrimonium. Recordari oportet multum praestare virtutes. Inter quas castitas apparet condicio pretiosa ut authentice crescat amor inter personas. Quod ad hanc necessitatem spectat, Patres synodales consenserunt in exigenda maiore totius communitatis implicatione, anteposita familiarum testificatione, praeter inserendam praeparationem ad matrimonium in itinere initiationis christianae, clare manifestando nexum matrimonii cum baptismo ceterisque sacramentis. Apparuit similiter necessitas ut praecipua susciperentur incepta pro praeparatione proxima ad matrimonium quae essent authentica experientia participationis in vita ecclesiali atque altius inducerent diversas rationes vitae familiaris”. [238]

207. Cohortamur christianas communitates ut agnoscant comitari iter amoris novorum sponsorum esse ipsis bonum. Sicut bene asseruerunt Episcopi Italiae, qui conubio iunguntur, pro communitate christiana sunt “pretiosum subsidium, quoniam sincere studentes ut crescant in amore et mutuo dono, possunt opem ferre ad ipsam renovandam totius corporis ecclesialis compagem: peculiaris forma amicitiae quam ipsi tenent, propagari potest, quae simul in amicitia fraternitateque christianam communitatem augere potest, quam ipsi participant”. [239] Habentur diversi modi legitimi instruendi praeparationem proximam ad matrimonium, et quaeque Ecclesia localis discernet quis sit melior, congruam praebens formationem quae eodem tempore non avertat iuvenes a sacramento. Non agitur de toto eis tradendo Catechismo neque eis plurimis argumentis cumulandis. Etiam in hoc valet regula: “Non enim abundantia scientiae satiat animam eique satisfacit, sed sentire ac gustare res interne”. [240] Plus proficit qualitas quam quantitas, et oportet praeponere – una cum renovata *kerygmatis* annuntiatione – haec argumenta quae, communicata allicienti modo et ex corde, adiuvent eos suscipientes iter cunctae vitae “animo magno et cum liberalitate”. [241] Agitur de quodam genere “initiationis” ad sacramentum matrimonii, quae afferat eis elementa necessaria ut illud suscipere valeant melioribus cum dispositionibus atque certa firmitudine vitam familiarem incipere.

208. Insuper expedit ut inveniantur modi, per familias missionarias, proprias familias sponsorum variaque auxilia pastoralia, ad remotam praeparationem praebendam quae eorum amorem ad maturitatem adipiscendam per propinquitatem testificationemque ducat. Solent peritiles esse coetus sponsorum et propositiones optionales sermonum de variis argumentis quae revera iuvenes alliciunt. Attamen necessaria sunt quaedam tempora personae aptata, quoniam primus finis est adiuvere unumquemque ut discat amare illam certam personam quacum studet

communicare totam vitam. Ediscere quendam amare haud est aliquid ex tempore factum nec potest esse finis brevis cursus praecedentis matrimonii celebrationem. Revera, omnis persona praeparat se ad matrimonium iam a suo primo ortu. Omnia a familia tradita deberent sinere ipsius historia eum erudiri eumque idoneum reddere ad obligationem plenam ac decretoriam suscipiendam. Probabiliter ad nuptias eos esse paratiores qui a suis parentibus didicerunt quid esset matrimonium christianum, ubi ambo elegerunt se sine condicionibus, et hoc propositum renovare pergunt. Hoc sensu, omnes actiones pastorales, quae ad coniugibus opem praestandam covertuntur, ut augeant amorem ac vivant Evangelium in familia, sunt adiumentum inaestimabile quo eorum filii se praeparent ad futuram vitam matrimonialem exigendam. Ne obliviscendum quidem est quid validi cura pastoralis popularis contulerit. Ut modicum exemplum supponamus, memoramus diem festum sancti Valentini, qui apud nonnullas Nationes magis proficit mercantibus quam actuositati pastorum.

209. Praeparatio eorum qui iam sponsalia confirmarunt, cum communitas paroecialis eos permature comitari valet, etiam praebere eis debet facultatem incongruentia ac pericula cognoscendi. Hoc modo illud percipi potest imprudentis esse illi vinculo confidere, ne quis se obiciat possibili calamitati, quam consecutaria pergravia consequentur. Inde est quod initialis error ducat ad abscondendas vel multas res pro portione tractatas, vitentur dissentiones, et ita difficultates in posterum differuntur. Sponsi incitandi sunt et adiuvandi ut loqui valeant de iis quae ab unoquoque desiderantur ex evenienti matrimonio, de ratione intellegenda quid sit amor et consensus, quid ab altero expetatur, quod definiendi convictus sit genus. Hae collocationes possunt adiuvare ut perspiciatur pauca esse reapse communia consilia ac proposita, ac meram mutuam attractionem sufficere non posse vinculi solidandi causa. Nihil magis vanum, debile et inopinabile quam desiderium, et numquam fulciendum est consilium de matrimonio contrahendo nisi solidae aliae sint rationes quae huic consensui certa firmitudinis indicia afferant.

210. Quidquid est, si palam alterius indolis quaedam debilia agnoscuntur, realem fiduciam habere oportet eius adiuvandi, quo melius eius pesona evolvatur, ut pondus illius infirmitatis compensetur, addito firmo studio uti hominis eius promovendi. Hoc secum fert firma voluntate quaedam esse forsitan deponenda, difficilia tempora et condiciones conflictationum praevidenda, solidamque habendam deliberationem his rebus subveniendi. Detegenda profecto sunt signa periculi cui occurrere potest relatio, ut reperiantur ante nuptias auxilia quae eadem feliciter aggredi sinant. Pro dolor, multi ad nuptias perveniunt haud se cognoscentes. Tantum simul se oblectarunt, simul fecerunt experientias, sed nihil de se ipsis serio animo cognoscendis neque de ediscendo quis revera alter sit susceperunt.

211. Tam proxima praeparatio quam longius iter comitandi providere debent ut sponsi non conspiciant nuptias tamquam metam itineris, sed matrimonium assumant uti vocationem quae eos ultra proicit, cum firmo realique proposito una simul adeundi cuncta pericula temporaque difficilia. Oportet cura pastoralis praematrimonialis et matrimonialis ante omnia pastoralis cura sit vinculi, ubi elementa afferantur quae adiuvent tum amorem maturandum tum tempora mala superanda.

Quae necessitudines haud sunt tantum persuasiones doctrinales, nec ad pretiosa spiritalia auxilia reduci possunt quae Ecclesia iugiter praebet, sed oportet sint quoque itinera realia, consilia plane ad rem adducta, agendi rationes ex experientia sumptae, directiones psychologicae. Omnia haec informant paedagogiam amoris quae ignorare nequit hodiernum iuvenum sensum, eorum intus permovendorum causa. Eodem tempore in sponsis parandis sunt indicandi loci hominesque, consultores vel promptae familiae, ad quae ipsi se convertere poterunt, intervenientibus difficultatibus, auxilium petentes. Sed numquam obliviscendum est eis Reconciliationem sacramentalem esse proponendam quae sinit peccata erroresque praeteritae vitae ipsiusque relationis deponere sub actione veniae misericordis Dei eiusque virtutis quae sanat.

Celebratio praeparanda

212. Apud proximam matrimonii praeparationem praecipuum locum obtinent invitationes, vestes, festum et innumerae parvae res quae tam opes consumunt quam vires et laetitiam. Sponsi debilitati et defessi ad matrimonium perveniunt, potius quam meliores vires impendant ut sese praeparent uti par hominum ad magnum actum obeundum quem una simul sunt facturi. Haec mentis habitudo revelatur etiam in quibusdam coniunctionibus re factis quae numquam ad matrimonium perveniunt, quoniam cogitant de celebratione nimiis sumptibus onerata, potius quam mutuum amorem anteponant eiusque formalem comprobationem coram aliis. Cari sponsi: habetote animum ut ab aliis differatis, ne patiamini vos devorari a societate consummendarum rerum et apparentium. Quod plus est, amor est qui vos coniungit, gratia confirmatus et sanctificatus. Vos seligere festi celebrationem modicam ac simplicem valetis, amorem super omnia efferentes. Operatores pastores cunctaque communitas adiuvere possunt ut non quaedam exceptio, sed princeps sit haec norma.

213. In proxima praeparatione tanti est sponsos certiores fieri ut altius celebrationem liturgicam communicent, qui adiuti intellegant et vivant sensum cuiusque gestus. Recordamur tantum officium, quantum expromit consensus matrimonialis, atque corporum coniunctionem quae matrimonium consumat, cum de duobus baptizatis agitur, conspici posse solummodo uti signa amoris Filii Dei qui caro factus est quique sua cum Ecclesia amoris foedere iungitur. In baptizatis verba et gestus mutantur in fidei eloquentem sermonem. Corpus significationibus quas Deus creans in illud immittere voluit “transformatur in sermonem sacramenti ministrorum, qui conscii sunt in coniugali foedere mysterium manifestari et perfici”. [\[242\]](#)

214. Interdum sponsi haud percipiunt theologicum spiritualeque pondus consensus, qui omnium subsequentium gestuum significationem illuminat. Necesse est patefacere haec verba ad praesens reduci non posse; ea totum quiddam complecti futurum tempus includens: “donec mors eos separaverit”. Consensus significatio ostendit “libertatem et fidelitatem minime obsistere, quae immo potius mutuo se sustinent, tam in vinculis personarum quam in socialibus necessitudinibus. Revera, cogitemus de damnis quae efficit in communicationis globalis cultu promissionum non perfectarum nimietas [...]. Fides data eaque servanda, promissioni fidelitas emi aut venire

nequeunt. Vi imponi non possunt, ne sacrificio quidem custodiri”. [243]

215. Episcopi Keniae asseruerunt: “Nimis in nuptiarum diem intenti, sponsi obliviscuntur se paraturos ad munus quod cunctam per vitam producit”. [244] Adiuvandi sunt ut intellegant sacramentum haud esse tantum momentum quod proinde ad praeteritum et memorias remittitur, quoniam perpetuo incidit in cunctam matrimonialem vitam. [245] Procreativus sensus sexualitatis, corporis sermo gestusque amoris qui in historia coniugum servantur, “continuatio sine intermissione liturgici sermonis” fiunt et “vita coniugalis quodam sensu fit liturgia”. [246]

216. per Biblia legenda meditari etiam possumus et locupletare intellectionem significationis anulorum qui mutuo donantur, vel aliorum signorum quae ad ritum pertinent. Sed bonum non esset si ad matrimonium accederent, nulla antehac simul facta precatione, cum alter pro altero a Deo auxilium poscit ut fideles sint et magnanimi, una simul a Deo exquirentes quid Ipse ab iis exspectet, atque amorem suum consecrantes coram Virginis Mariae imagine. Qui eos comitantur ad matrimonium accessuros, sic eos dirigere debent ut vivere valeant orationis tempora quae iis valde prodesse possunt. “Liturgia nuptialis est eventus unicus, qui vivitur in ambitu familiari socialique festo. Primum signorum lesu factum est in nuptiarum epulis Canae: vinum bonum Dominici miraculi, quod familiam orientem laetificat, est vinum novum Foederis Christi cum viris mulieribusque cuiusque aetatis. [...] Crebro celebrans opportunitatem habet alloquendi coetum personis compositum quae parum vitam ecclesiam participant vel ad aliam christianam confessionem aut religiosam communitatem pertinent. De pretiosa agitur occasione annuntiandi Christi Evangelium”. [247]

Vita matrimonialis primis annis comitanda

217. Agnoscere debemus uti magnum bonum quod intellegitur matrimonium esse amoris proprium, nuptias conficere posse tantum qui sese libere eligunt et amant. Nihilominus, cum amor mera fit attractio vel incerta quaedam affectio, hoc efficit ut coniuges patiantur insuetam fragilitatem cum affectus versetur in discrimine vel cum corporis attractio deficiat. Quoniam hae perturbaciones crebro occurrunt, fit necessarium comitari coniuges primis annis vitae matrimonialis quo ditius et firmiter fiat propositum idque scienter libereque suscipiatur, ut alter ad alterum pertineat ametque usque ad finem. Saepenumero sponsalium tempus haud sufficit, deliberatio nuptias festinanter ineundi varias ob rationes evenit, dum, quasi si hoc parum esset, iuvenum maturatio tardata est. Idcirco novi coniuges iter illud complere deberent, quod tempore sponsalium perficere debuissent.

218. Ceterum, hoc corroborare cupimus, matrimonium non esse finitum quiddam et familiaris pastoralis curae esse ipsum iuvare ad hoc intellegendum. Coniunctio realis est, irrevocabilis, atque confirmata est et consecrata per matrimonii sacramentum. Sed hac in coniunctione coniuges fiunt actores, suae ipsorum historiae domini ac consilii auctores quod simul proferendum est. Intuitus in futurum vertitur quod singulis diebus aedificandum est Dei suffragante gratia, et

idcirco a coniuge haud requiritur ut iam sit perfectus. Deponendae sunt inanes spes ac coniugem accipere oportet sicut est, imperfectum quidem, vocatum ad incrementum, in itinere. Cum coniux censorie usque conspicitur, hoc indicat matrimonium acceptum non esse uti inceptum simul exstruendum, patienter, benigne, indulgenter et magnanime. Quamobrem amor paulatim substituitur intuitu inquisitionis ac severo, cuiusque meritorum iuriumque inspectione, reclamazione, concertatione suiue defensione. Itaque coniuges haud valent alter alterum sustinere ad utriusque maturationem necnon coniunctionis incrementum. Necesse est novis coniugibus ab initio bene plane hoc ostendatur, ut conscii fiant se incepturos. Consensus quem mutuo sibi dederunt, initium est itinerarii, quod prae se fert propositum ea superandi quae imponunt rerum adiuncta et si quae intervenerint obstacula. Recepta benedictio est gratia et incitamentum, ut hoc iter semper pateat. Saepe iuvat sedere ad colloquendum ut certum propositum conficiatur, finibus, instrumentis et elementis constitutis.

219. Memoramus redientem versum dicentem aquam stagnantem corrumpi, inquinari. Hoc evenit cum amoris vita primis matrimonii annis laxatur, non movetur, iam illam non habet inquietudinem, per uam ultra proceditur. Saltatio propulsat hoc iuvenili amore, saltatio his oculis stupefactis spe repletis non debet consistere. In sponsalibus inque primis matrimonii annis spes in se vim habet fermenti, conspicere sinit ultra contradictiones, conflictus, vicissitudines, semper ultra prospectare sinit. Spes quamque inquietudinem permovet ad se in itinere incrementi servandum. Eadem spes nos invitat ut plene praesens tempus teneamus, in familiari vita cor ponentes, quoniam melius in praesens vivitur cum futurum tempus paratur ac firmatur.

220. Iter postulat varias stationes transeundas quae ad magnanimam vocant donationem: cum prima tempora magna sensuum voluptate natantur, ulteriora autem necessitate alterum ut sui partem sentiendi. Inde proceditur ad mutuae communionis gustum, totam vitam uti amborum propositum intellegendam, alterius felicitatem supra proprias necessitates ponendam, adque gaudium videndi proprium matrimonium tamquam bonum pro societate. Amoris maturatio implicat etiam artem "negotiandi" ediscendam. Non est habitus meritorius vel ludus commercialis generis, sed utique mutui amoris exercitium, quoniam haec negotiatio est complicatio mutuarum oblationum et recusationum pro familiae bono. In quaque nova vitae matrimonialis statione oportet sedere ad negotianda denuo pacta, ita ut victores victique non habeantur, sed uterque vincat. Domi decernendum est non una tantum ex parte, ac duo responsaliter pro familia participant, at unaquaeque domus una est et quaeque matrimonialis synthesis alia est.

221. Inter causas quae ad matrimonii dissolutionem ducunt illa est annumeranda quae de coniugali vita nimium sibi vindicat. Cum realitas detegitur artior laboriosiorque quam sperata est, solutio non est cito et haud responsaliter de separatione cogitare, sed matrimonium veluti maturationis iter accipere, in quo uterque coniugum Dei instrumentum est pro altero augendo. Fieri potest mutatio, incrementum, bonarum facultatum, quas unusquisque in se fert, explicatio. Omne matrimonium est quaedam "historia salutis", et hoc vult ut ex imbecillitate sumatur initium quae, per Dei donum et ingeniosam magnanimamque responsionem, paulatim realitati dat locum

solidiori usque et pretiosiori. Missio forsitan maxima viri mulierisque in amore haec est: vicissim magis virum vel mulierem effici. Cum quis efficit ut alter crescat, eum adiuvat ut sua in identitate se fingat. Hac de causa amor est artifex. Cum textum Bibliorum legimus de creatione viri et mulieris, primum Deum videmus qui virum informat (cfr *Gen 2,7*), deinde animadvertit aliquid praecipuum deesse et mulierem fingit, ac deinde stuporem viri audit: “Eia, nunc sic, haec utique!”. Et post audiri videtur pulcher ille dialogus, in quo vir et mulier passim se detegunt. Re quidem vera etiam in difficilibus temporibus alter denuo obstupescit et aperiuntur novae portae ad iterum se conveniendum, quasi si esset prima occurso; et in quaque nova statione revertuntur ad se vicissim ipsos “fingendos”. Amor efficit ut alter alterum expectet et patientiam habeat artificis propriam quam a Deo hereditate accepit.

222. Comitatus debet coniugibus animum addere ut liberales fiant in vita communicanda.

«Secundum indolem personalem et humane completam coniugalis amoris, recta via ad familiare propositum requirit dialogum consensualem inter coniuges, temporum observantiam et cuiusque consortis considerandam dignitatem. Hoc sensu Litterae Encyclicae *Humanae vitae* (cfr 10-14) et Adhortatio apostolica *Familiaris consortio* (cfr 14; 28-35) iterum detegendae sunt ad concitandam promptam voluntatem procreandi contra quandam mentem saepe vitae infensam. [...] Eo quod parentes responsaliter fieri eligitur, efformata conscientia requiritur, quae “est nucleus secretissimus atque sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius” (*Gaudium et spes*, 16). Quo magis coniuges audire conantur sua in conscientia Deum eiusque mandata (cfr *Rom 2,15*), et spiritalem accipiunt comitatum, eo magis eorum decretum intime liberum erit ab arbitrio subiectivo et ab aequandis modis agendi in eorum ambitu». [248]

Validum permanet perspicuum affatum *Concilii Vaticani II*: Coniuges “communi consilio atque conatu, rectum iudicium sibi efformabunt, attendentes tum ad suum ipsorum bonum tum ad bonum liberorum, sive iam nati sint sive futuri praevideantur, dignoscentes temporum et status vitae condiciones tum materiales tum spirituales, ac denique rationem servantes boni communitatis familiaris, societatis temporalis ipsiusque Ecclesiae. Hoc iudicium ipsi ultimatim coniuges coram Deo ferre debent”. [249] Ceterum «recursus ad methodos fundatas super “naturales leges ac tempora fecunditatis” (*Humanae vitae*, 11) fovendus est. In bono lumine collocantur et “hae methodi corpus verentur coniugum, teneritudinem promovent inter eos et educationi favent authenticae libertatis” (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 2370). Illud semper extollendum liberos mirum esse Dei donum, laetitiam parentibus et Ecclesiae. Per eos Dominus mundum renovat». [250]

Quaedam subsidia

223. Patres synodales indicaverunt “primos matrimonii annos tempus esse vitale ancepsque, in quo coniuges adolescent, de provocationibus conscii ac de matrimonii significatione. Unde necessitas adiumenti pastoralis quae post sacramenti celebrationem debet pergere (cfr *Familiaris consortio*, pars III). Magni est ponderis hac in pastoralis cura praesentia coniugum probatorum. Paroecia consideratur locus ubi coniuges provectiores iunioribus praesto esse possunt, forsitan

opem ferentibus consociationibus, motibus ecclesialiis novisque communitatibus. Oportet animum addere coniugibus, ut praecipuam habeant voluntatem filiorum recipiendorum, qui magnum sunt donum. Ostendatur oportet magni momenti esse familiarem spiritualitatem, orationem et Eucharistiae dominicalis participationem, exhortando coniuges ut sedulo conveniant ad fovendum spiritualis vitae incrementum solidarietatemque in realibus vitae necessitatibus. Liturgiae, devotionis consuetudines et Eucharistiae pro familiis celebratae, praesertim in matrimonii anniversaria memoria, vitales occasiones ad favendum evangelizationi per familias memoratae sunt”. [\[251\]](#)

224. Hoc iter est temporis quaestio. Amor indiget temporis expediti et gratuiti, quod aliis rebus secundas partes tribuat. Adhibendum est tempus ad colloquendum, se amplectendum sine festinatione, proposita communicanda, se mutuo audiendum, contuendum, aestimandum, ad necessitudinem corroborandam. Alias difficultates exstant propter citatum societatis motum, vel propter tempora quae operum officia decernunt. Alias ex eo quod tempus simul exactum qualitatem non habet. Communicamus tantum materiale locum, sed alter ad alterum animum non attendimus. Pastorales operatores familiarumque coetus iuvenes aut debiles coniuges adiuvere debent ut his temporibus sibi occurrere ediscant, alter coram altero sistere, atque etiam silentii tempora quae eos cogent ad praesentiam coniugis experiendam communicare.

225. Coniuges qui bonam experientiam ob “tirocinium” quoddam sunt adepti hac in re, auxilia realia, eis utilia, offerre possunt: praestitutionem temporum quibus simul gratuito consistant, tempora oblectationis cum filiis, varios modos res magni momenti celebrandi, spatia spiritualitatis communicatae. Sed quaedam etiam praebere possunt subsidia quae adiuvent sensu et significatione replere haec tempora, ut melius communicare discant. Quod maximi est momenti cum extincta sit sponsalium novitas. Quoniam, cum nescitur quid sit faciendum cum tempore communicato, alteruter coniugum ad technologiam confugere, alia negotia invenire, alia bracchia quaerere vel intimitatem incommodam fugere potest.

226. Iuvenes coniuges sunt concitandi ut proprias consuetudines efficiant, quae sanum sensum stabilitatis ac securitatis praebeant quaeque aedificent seriem cotidianorum rituum simul participandorum. Bonum est semper mane sibi osculum mutuo dare, vespere autem benedictionem impertire, alterum exspectare alterum atque suscipere cum venerit, aliquando simul exire, opera domestica communicare. Sed eodem tempore bonum est consuetis festivitatem interponere, capacitatem celebrandi in familia non amittere, gaudere et de pulchris experienciis festum agere. Debent simul mirari propter dona Dei et fervorem in vitam simul alere. Cum quis celebrare valet, haec facultas vires amoris renovat, eum a taedio liberat et colore ac spe cotidianas consuetudines replet.

227. Nos Pastores familiis animum addere debemus ut in fide crescant. Quapropter iuvat ad frequentem Reconciliationem hortari, ad spiritalem moderationem, ad recessus frequentandos. Neque autem obliviscendum est eos esse invitandos ut spatia hebdomadalia familiaris orationis instituant, quoniam “familia quae coniuncta orat, coniuncta manet”. Simulque, dum domus

invisimus, cunctos familiares ad mutuam orationem adque familiam in manus Domini committendam invitare debemus. Eadem opera oportet animum addere coniugibus ut quisque tempus sibi sumat orationis in solitudine coram Deo, quoniam unusquisque suas secretas habet aegritudines. Quidni Deo narremus quod cor turbat, vel ab ipso vim poscamus ad propria vulnera sananda et lumina imploremus quibus indigemus ad proprium munus sustinendum? Patres synodales palam asseruerunt etiam “Verbum Dei fontem esse vitae spiritualitatisque pro familia. Omnis cura pastoralis familiaris debet efformari intus ac formare membra ecclesiae domesticae per lectionem orantem et ecclesialem Sacrarum Scripturarum. Verbum Dei non solum est bonus nuntius pro personarum vita privata, sed etiam norma iudicii et lumen pro discretionem variarum provocationum quibus coniuges et familiae subvenire debent”. [\[252\]](#)

228. Fieri potest ut alteruter coniugum non sit baptizatus, vel fidei officia tueri non vult. Hoc in casu, alterius desiderium christianum in modum vivendi augendique efficit ut indifferens coniux e dolore laboret. Nihilominus reperiri possunt quaedam bona communia quae studiose communicari et coli possunt. Quidquid est, non credentem coniugem amare, felicem eundem reddere, dolores eius allevare vitamque cum eo communicare verum est sanctificationis iter. Ceterum, amor donum est Dei, et ubi diffunditur, suam effundit transformationis vim, modis aliquando arcanis, usque adeo “sanctificatus est vir infidelis in muliere, et sanctificata est mulier infidelis in fratre” (1 Cor 7,14).

229. Paroeciae, motus, scholae et alia Ecclesiae instituta partes gerere possunt in familiis curandis et redintegrandis. Exempli gratia per instrumenta qualia sunt: proximarum vel amicarum familiarum congregationes, breves recessus pro coniugibus, peritorum colloquutiones de familiaris vitae quaestionibus admodum concretis, matrimonialis consultationis sedes, operatores missionum ad colloquendum cum coniugibus de eorum difficultatibus desiderationibusque qui sunt parati, consultationes de diversis familiaribus condicionibus (dependentiis, infidelitate, violentia familiari), spiritualitatis loca, formationis laboratoria pro parentibus cum filiis difficultatibus affectis, coetus familiares. Secretariatus paroecialis valeat oportet affabiliter accipere et familiares urgentias prosequi, vel facile dimittere ad eos qui auxilium iis praestare valeant. Adest etiam pastorale adiumentum quod in coniugum coetibus datur, cum ministerii tum missionis, orationis, formationis vel mutui subsidii. Hi coetus occasionem praebent dandi, familiae apertionem versus alios vivendi, fidem communicandi, sed eodem tempore instrumenta sunt ad coniuges corroborandos et augendos.

230. Verum est multos coniuges post matrimonium e christiana communitate discedunt, sed tot perdimus occasiones illorum denuo praesentium, ubi nos allicientem in modum christiani matrimonii specimen iterum proponere eosque ad comitationis momenta adducere: loquimur exempli gratia de filii Baptismo, prima Communionem, vel cum cuiusdam necessarii vel amici participant ritum funebrem vel matrimonium. Fere omnes coniuges rursus adsunt his in occasionibus, quae melius possunt adhereri. Alia via eos conveniendi est benedictio domorum, vel Beatae Virginis Mariae imaginis visitatio, quae occasionem dant de familiae condicione instituendi

pastoralem dialogum. Proficere potest etiam coniugibus senioribus eis proximos coniuges iuvenes commendare comitandos, ut eos visitent, prosequantur in eorum initiis eisque proponant incrementi viam. Considerato hodiernae vitae cursu, maior coniugum pars haud studet saepenumero convenire, neque pastoralis cura in modicum manipulum colendum contrahi potest. Hodie familiaris cura pastoralis essentialiter missionaria sit oportet, quae egreditur, proxima est, potius quam redigatur ad cursuum fabricam quibus pauci intersunt.

Discrimina illuminanda aequae et angores et difficultates

231. Aliquid dicendum est iis qui iam in amore inveteraverunt vinum sponsalium novum. Cum vinum hac experientia itineris inveterascit, ibi apparet, floret tota sua in plenitudine, fidelitas parvorum vitae momentorum. Fidelitas est expectationis et patientiae. Haec fidelitas repleta sacrificiis gaudiisque floret progrediente aetate, qua omnia “obdurescunt” et oculi scintillant in contemplatione priorum filiorum prolis. Sic erat ab initio, sed iam in dies, in annos conscius, concretus, maturus in cotidiana admiratione revelationis factus est. Sicut docuit sanctus Ioannes a Cruce, “amantes seniores sunt iam experti et probati”. Ipsi carent “fervoribus sensibilibus, ebullitionibus externisque ignibus fervoris. Ipsi iam gustant suavitatem vini amoris in substantia, iam fermentati et positi intus animae”. [253] Hoc secum fert valuisse ipsos coniuncti discrimina angustiaeque tempora superare, haud provocationes effugentes nec difficultates abscondentes.

Discriminum provocatio

232. Familiae historia signatur discriminibus cuiusque generis, quae sunt quoque pars eius dramaticae pulchritudinis. Auxilium est ferendum ut detegatur discrimen superatum non ferre ad necessitudinem minus artam, sed ad vinum coniunctionis melius faciendum, elequandum et maturandum. Homines non vivunt simul ut minus usque felices fiant, sed ut ediscant felices esse modo novo, incipiendo a facultatibus nova statione patefactis. Quodque discrimen scholam secum fert quae sinit ut vita communicata amplificetur, vel saltem ut novus sensus experientiae matrimonialis reperitur. Nullo modo ad descendentem cursum, ad deteriorem fatalemque condicionem, ad mediocritatem tolerandam est inclinandum. E contra, cum matrimonium assumitur tamquam munus quod importat etiam obstacula superanda, quodque discrimen percipitur veluti occasio ut ad suavius vinum una simul bibendum perveniatur. Bonum est comitari coniuges ut valeant accipere discrimina quae evenire possunt, suscipere provocationem et designare eis locum in vita familiari. Coniuges periti institutique debent parati esse ad alios comitandos in hac via detegenda, ita ut discrimina illos haud terreant neque ad subitanea consilia capienda adducant. Quodque discrimen bonum nuntium abscondit et oportet ille utique auscultetur cordis auditum acuendo.

233. Cuidam provocanti discrimini statim obsistitur ac defensio paratur, cum animadvertatur id e propria voluntate effluere, quandoquidem ostendit non sufficere proprium vivendi modum, et hoc displicet. Ideo adhibetur methodus difficultates negandi, abscondendi eas, earum pondus

extenuandi, tempus dumtaxat considerandi idque terendi. Sed eapropter solutio tardatur et ingens vis insumitur in quadam inutili occultatione, quae magis usque complicabit quaestiones. Vincula corrumpuntur et solitudo quaedam consideratur quae intimae coniunctioni dat damnum. Si discrimini non subvenitur, magis debilitatur communicatio. Hoc modo paulatim quae fuit “persona quam diligo” fit deinde “persona quae usque comitatur me in vita”, post solum “pater vel mater meorum filiorum”, ac denique extraneus.

234. Ut discrimen superetur praesentia opus est. Difficile est, quia aliquando personae delitescunt ne ostendant quod sentiunt, se ad parvi animi silentium abducunt ac dolosum. His temporibus oportet momenta constituere ad communicandum, ut dicitur, e corde ad cor. Nimirum illud est quod difficilius fit sic communicare tempore discriminis, si numquam quis didicerit istud facere. Vera est ars quae ediscitur tranquillitatis temporibus, acerbioribus temporibus adhidenda. Oportet adiuvere ad causas detegendas occultiores in cordibus coniugum easque sumendas tamquam partum qui praeteribit et relinquet novum thesaurum. Sed responsiones ad consultationes effectas patefaciunt in difficilibus vel gravibus condicionibus maiorem hominum partem pastorem comitacionem negligere, quoniam illam haud comprehensivam, proximam, realem, veram animadvertit. Quamobrem studeamus nunc ad discrimina matrimonialia accedere, cernentes et haud ignorantes eos pondere doloris aegritudinisque onerari.

235. Sunt discrimina communia quae sueto more in cunctis matrimoniis usu veniunt, sicut initiorum discrimen, cum necesse est conciliare differentias et segregari a parentibus; vel discrimen temporis quo filius paritur, suis cum novis emotionum provocationibus; discrimen temporis pueri alendi, quod mutat parentum consuetudines; discrimen temporis filii adolescentis, quod requirit multas vires, parentes destitit, aliquando etiam inter se dissentientes; discrimen “nidi vacui”, quod coniuges coegit denuo se ipsos inspicere; discrimen effectum senectute parentum coniugum qui postulant maiorem praesentiam, plus curarum ac difficiles deliberationes. Hae sunt imperiosae condiciones, quae gignunt timores, culpaesensus, depressiones vel defatigationes quae possunt graviter vinculum afficere.

236. His adduntur discrimina personalia quae in coniuges recidunt, quaeque cum difficultatibus oeconomiae, operis, affectionum, socialitatis, spiritualitatis iunguntur. Et adduntur quaedam inopinata quae perturbare possunt vitam familiarem quaeque sibi vindicant iter veniae et reconciliationis. Ex quo tempore ad veniam accedere studet, quisque se serene humiliterque interrogare debet an condiciones posuerit, ut alius quosdam in errores rueret. Nonnullae familiae pereunt cum coniuges inter se conflagunt, sed “experientia ostendit congruo auxilio et reconciliationem operante gratia maiorem discriminum matrimonialium partem feliciter superari. Si quis dimittere vult sibi que dimitti animadvertit, in familiari vita praecipuum quiddam experitur”. [254] “Laboriosa reconciliationis ars, cui necessarium est gratiae auxilium, indiget magnanima cooperatione parentum et amicorum, et aliquando etiam adiutorio externo et artis”. [255]

237. Saepe usu venit ut, cum quis animadvertit se quod optet non recipere, vel non perficere quod

cupierit, id sufficere videatur ad finem matrimonio imponendum. Sic diuturnum non erit matrimonium. Nonnumquam ad decernendum omnia extincta esse sufficit ut quis spe quadam destituatur, tempore illo absit cum ipso alter indiget, in elatum animum vulneratur vel de quadam infinita re timet. Quaedam ad hominum infirmitatem utique spectant, quibus pergrave tribuitur emotionum pondus. Exempli gratia, cum quidam sentit se prorsus non diligi, cum adsunt aemulationes, cum quaedam inter utrumque differentiae exstant, cum is ab aliis personis allicitur, cum nova studia cor invadere conantur, cum quaedam mutamenta corporis coniugis eveniunt, atque tot alia interveniunt quae potius quam amorem, invitamenta sunt eundem plus quam semel reduplicatura.

238. His in condicionibus, quidam satis sapiunt ut iterum alium seligant veluti comitem in via, praeter necessitudinis limites, ac re accipiunt cunctis somniis optatis satisfacere se nequire. Vitant se unicos martyres putari, aestimant parvas angustasque facultates quas iis familiaris vita praebet atque operam dant ut vinculum roboretur in aedificio quodam, quod indigebit tempore studioque. Quoniam demum agnoscunt omne discrimen esse novum "sic" propter quod fieri potest ut amor renascatur roboratus, transfiguratus, maturatus, illuminatus. E discrimine quodam initium sumit animus ad altas requirendas radices evenientium, rursus ad nova foedera praecipue ferienda, ad novum temperamentum reperiendum, ad novum cursum simul suscipiendum. Cum quis praesto est, tot difficultates vinci possunt. Quidquid est, agnoscentes reconciliationem fieri posse, hodie detegimus "ministerium dicatum iis quorum matrimoniale vinculum dissolutum est hodie potissimum esse necessarium". [\[256\]](#)

Vetera vulnera

239. Intellegi potest in familiis multas inesse difficultates cum quidam earum membrorum suae ipsius necessitudinis rationem haud obtinuit, quia vulnera cuiusdam vitae suae temporis non sanavit. Propria infantia adolescentiaque male peractae in personalia discrimina facile declinare possunt, quae matrimonium ad damnum deferunt. Si omnes personae recte adolevissent, discrimina rarescerent ac minus dolerent. Sic res se habet ut personae quadraginta annos natae nondum ad maturitatem pervenerint, quam iam adolescentes attingere debuissent. Interdum amore agocentrico qui est pueri amator, cum in quodam sistitur gradu ubi realitas deformatur et libido imperat omnia circum se volvi debere. Amor est inexplebilis, qui clamat et plorat cum quae concupiscit non recipit. Alias amator amore qui in adolescentiae statu figitur, quique contetione, damnatorio iudicio, consuetudine alios insimulandi, ratione sensus et fictionis, ubi alii replere debent nostra vacua vel libidines sustinere nostras.

240. Multi infantiam suam complent et numquam experti sunt se amatos esse sine condicionibus, et hoc vulnerat eorum confidendi facultatem seque donandi. Necessitudo male habita cum parentibus et fratribus, quae numquam sanata est, iterum apparet, et damnum vitae coniugali dat. Curriculum igitur complendum liberationis quod numquam est consideratum. Cum necessitudo inter coniuges male evolvitur, ante magni momenti quam capiantur consilia, oportet inspicere an

uterque hoc iter perfecit suae historiae curae. Hoc requirit ut agnoscat necessitas sanationis, instanter postuletur gratia aliis sibi dimittendi, accipiatur auxilium, quaerantur rationes certae et iterum iterumque istud temptetur. Unusquisque secum valde sincerus sit oportet ut agnoscat suum modum vivendi amorem hac affici immaturitate. Quamvis tota culpa liquido esse alterius videatur, numquam tamen discrimen superari potest, dum exspectatur ut tantum alter mutetur. Oportet etiam is se interroget de rebus quas potuerit ipse perficere et sanare ad contentiones superandas.

Comitari post rupturas et divortia

241. Quibusdam in casibus consideratio propriae dignitatis bonique filiorum mandat ut alter firmiter ab immodicis postulationibus, a magna iniustitia, a vi vel ab inobservantia, quae perpetua fit, arceatur. Agnoscere oportet “exstare casus in quibus separatio est inevitabilis. Nonnumquam etiam fieri potest moraliter necessaria, cum nempe agitur de coniuge debiliore vel parvis filiis abducendis a gravioribus vulneribus, quae inferunt impotentia et vis, animi fractio et abusus, distantia et indifferentia”. [257] Attamen “habendum est extremum remedium, cum omnis alius conatus fuerit vanus”. [258]

242. Patres affirmaverunt “peculiarem discretionem esse necessariam ad pastoraliter comitandos separatos, matrimonio solutos ac derelictos. Praesertim accipiendus aestimandusque est dolor eorum qui iniuste passi sunt separationem, divortium vel desertionem, aut coacti sunt, saeviente coniuge, ut convictum relinquerent. Iniuriam patiendibus haud facile est veniam dare, sed iter est quod gratia efficere potest. Unde necessitas pastoralis reconciliationis atque mediationis etiam ope huiusmodi sedium in dioecesibus statuendarum”. [259] Eodem tempore “personae per divortium seiunctae, quae nuptias denuo non conciliarunt, quaeque saepe testes sunt matrimonialis fidelitatis, adhortandae sunt ut in Eucharistia alimoniam reperiant quae eas sustineat earum in statu. Loci communitas et Pastores debent sollicite comitari has personas, potissimum cum filii adsint vel ipsae gravi inopia laborant”. [260] Matrimonium detrimentum multo perniciosius et acerbius cum egestas ingruit, quoniam minus copiarum habetur ad vitam exigendam. Homo pauper, qui familiarem tuentem locum amittit, dupliciter in omne genus solitudinibus periculisque versantur, suae integritati infensis.

243. Magni est ponderis ut homines distracti, qui novo matrimonio iunguntur, percipiant se Ecclesiae esse partem, se non esse “excommunicatos” neque ut tales tractari, quoniam semper participant communionem ecclesiam. [261] Hae condiciones “expostulant attentam discretionem et comitationem magnae observantiae, quae omnes sermones habitusque depellant, ne ii percipiant se esse separatos, atque ut ad vitam communitatis participandam inducantur. Quod ii curantur, id christianae communitatis fidem et de matrimonii indissolubilitate testificationem non extenuat, quin immo hac cura ipsa suam ostendit caritatem”. [262]

244. Ceterum, magna pars Patrum “necessitatem manifestavit ut in promptu omnino esset et, si fieri potest omnino gratuiti, modi agendi in causis de matrimonii nullitate”. [263] Diuturnitas

processuum exasperat defatigatque homines. Proxima duo Nostra de hoc argumento documenta [264] planiorem reddiderunt agendi modum de declaratione nullitatis matrimonii. Per ea volumus etiam “ut pateret Episcopum ipsum sua in Ecclesia, cuius sit constitutus pastor et caput, hac ratione esse et iudicem inter fideles sibi concreditos”. [265] Idcirco “haec documenta exsequenda magnam tribuunt responsalitem Ordinariis dioecesanis, qui ipsi vocantur ad nonnullas causas iudicandas et, cuicumodi est, ad faciliorem reddendum aditum fidelium ad iustitiam. Hoc secum fert congruam personarum institutionem, clericorum scilicet et laicorum, qui peculiari modo huic ecclesiali servitio dent operam. Necessarium ergo erit ut praesto sint hominibus separatis vel coniugibus in discrimine versantibus servitium notitiarum, consilium mediationis, coniunctum cum cura pastoralis familiari, quae personas recipere quoque poterunt, praevidiam prospectantes inquisitionem matrimonialis processus (cfr *Mitis Iudex*, art. 2-3)”. [266]

245. Patres Synodales collustrarunt etiam “separationis vel divortii consecutaria in filios, qui semper victimae sunt innocentes harum rerum status”. [267] Praeter omnes considerationes quae exponi possunt, ipsi primum obtinent sollicitudinis locum, quae obscurari non debet ullo alio commodo vel fine. Ad parentes separatos hanc admovemus supplicationem: “Numquam, numquam, numquam filios obsides sumere debet! Vos separastis ob tot difficultates et rationes, vita vobis hanc dedit probationem, sed absit ut filii sint qui pondus separationis ferant, ne adhibeantur tamquam obsides contra alterum coniugem, crescant audientes matrem bene de patre loquentem, etiamsi non simul vivant, atque patrem bene de matre loquentem”. [268] Haud responsabile est imaginem patris vel matris destruere, ut alteruter filii affectionem sibi conciliet, ut ulciscatur, ut se tueatur, quia hoc damnum affert interiori vitae huius parvuli et vulnera edit difficulter sananda.

246. Ecclesia, quamvis intellegat in contentionibus versari coniuges, desinere non potest vox esse debiliorum, qui sunt filii dolentes, saepe silentes. Hodie “quamvis animi sensu, qui videtur amplificatus, cunctisque nostris acrioribus psychologice inquisitionibus cumulemur, Nos interrogamus an sensum amiserimus quod ad parvulorum vulnera attinet [...] Sentimusne pondus montis quod pueri animam gravat, in familiis ubi alius alium male tractat, malum infert, usque ad coniugalis fidelitatis nexum solvendum?”. [269] Hae pessimae experientiae non adjuvant ut ii pueri maturescentes definita munera gerere valeant. Quapropter christianae communitates non debent parentes divortio seiunctos deserere, novo vinculo devinctos. E contra, eos includere debent et comitari in eorum institutionis officio. Nam “quomodo possemus hortari hos parentes ut cuncta agerent pro filiis in vitam christianam educandis, eis praebendo exemplum fidei firmae certaeque, si eos a communitatis vita abduceremus, veluti essent excommunicati? Oportet ita facere ut alia onera non imponantur praeter ea quae filiis hac in condicione iam ferenda sunt!”. [270] Adjuvare parentum vulnera sanare eosque spiritualiter suscipere bonum est etiam filiis, qui indigent familiari vultu Ecclesiae quae eos accipiat hac in gravi experientia. Divortium malum est, atque augescens devortiorum numerus perturbat. Qua de re procul dubio nostrum maximum de familiis munus pastorale est amorem confirmare atque adjuvare vulnera sanare, ita ut praecaveamus ne hoc nostrae aetatis exitium longius progrediatur.

Quaedam complicata rerum adiuncta

247. “De matrimoniis mixtis quaestiones matrimonia mixta requirunt perquam attente sunt ponderandae. ‘Inter catholicos aliosque baptizatos matrimonia, quamvis singularem exhibeant speciem, plures tamen ostendunt rationes, quas utile est probe fovere et provehere tum propter interius ipsarum bonum, tum propter vim, quam motui oecumenico tribuere possunt. Eius rei gratia ‘inquiri debet [...] benigna adiutrix opera inter ministrum catholicum et non catholicum iam inde a primo tempore praeparationis ad matrimonium ipsarumque nuptiarum’ (*Familiaris consortio*, 78). De eucharistica communionem hoc asseritur: “deliberatio de parte non catholica in matrimonio admittenda vel non ad communionem eucharisticam accipiendam sumenda est secundum normas generales hac in re, tam pro christianis orientalibus quam pro aliis christianis, et prae oculis habita hac peculiari condicione, videlicet quod sacramentum matrimonii christiani suscipiunt duo christiani baptizati. Quamvis coniuges matrimonii mixti in commune habeant sacramenta baptismi et matrimonii, Eucharistiae communicatio tantummodo exceptio esse potest, et profecto statutae normae servandae sunt’ (Pont. Cons. de Christianorum Unitate promovenda, *Direttorio per l’Applicazione dei Principi e delle Norme sull’Ecumenismo*, 25 marzo 1993, 159-160)”. [271]

248. “Matrimonia cultu disparia constituunt locum praecipuum dialogi inter religiones [...] sed secum ferunt quasdam peculiare difficultates, sive quod ad familiae christianam identitatem pertinet, sive quod ad filiorum religiosam educationem. [...] Numerus familiarum, disparitate cultus coniugum efformatarum, augescens in territoriis missionum et etiam in Nationibus diuturnae traditionis christianae, compellit ut prompte provideatur variatae curae pastoralis secundum diversos contextus sociales et culturales. Quibusdam in Nationibus, ubi religionis libertas haud existit, coniux christianus coactus est ut in aliam religionem transeat ad nuptias ineundas, nec potest matrimonium cum disparitate cultus celebrare neque filios baptizare. Idcirco confirmemus oportet necessarium esse libertatem ab omnibus servari”. [272] “Necesse est praecipua attentio praestatur iis qui huiusmodi matrimoniis coniunguntur, non solum ante nuptias. Singularibus provocationibus occurrunt coniuges et familiae, in quibus alter catholicus est, alter non credens. His in casibus necesse est vim Evangelii testificari quod in has condiciones descendat ita ut copia detur filios ad christianam fidem insituendi”. [273]

249. “Singularem difficultatem afferunt circumstantiae quae pertinent ad Baptismum conferendum iis qui in quadam implicata condicione matrimoniali inveniuntur. Agitur de personis, quae stabilem matrimonialem coniunctionem inierunt tempore quo saltem alterutra nondum noverat fidem christianam. Episcopi his in casibus vocantur ad pastorem discretionem exercendam, congruam nempe eorum spiritalibus bonis”. [274]

250. “Ecclesia suo in agendi modo sequitur Iesum Christum, qui suo immenso amore se obtulit pro omnibus, nullo excepto. [275] Una cum synodalibus Patribus familias consideravimus, quae experiuntur adesse intra se personas in homosexualitatem inclinantes, quod haud facile est Parentibus et filiis. Quocirca confirmare volumus quamque personam personam, praeter sexualem

inclinationem, reverendam esse sua in dignitate et observanter accipiendam, cura adhibita ut vitetur “omnis signum iniustae discriminationis” [276], et nominatim” et praesertim omnis species aggressionis et violentiae. Quod autem ad familias attinet, oportet officiosa agatur comitatio, ut qui in homosexualitatem inclinantur subsidiis necessariis frui possint ad intellegendam efficiendamque sua in vita Dei voluntatem. [277]

251. De dignitate ac familiae missione procedente disceptatione, Patres synodales planum fecerunt “de propositis comparandi coniunctiones inter homosexuales cum matrimonio nullum exstare fundamentum quae aequationes vel similitudines instituant, ne remotas quidem, inter coniunctiones homosexuales et Dei consilium de matrimonio familiae”; atque est improbandum “locales Ecclesias hac in re coerceri et internationalia instituta condicionibus pauperes Nationes adstringere, ut leges ferant de “matrimonio” inter eiusdem sexus personas”. [278]

252. Familiae monoparentales saepe oriuntur e “matre vel patre biologico nolenti umquam se in vitam familiarem immitti, e circumstantiis violentiae a quibus alter parens coactus erat augufere una cum filiis, e morte alterius parentis, e desertione familiae ab altero parente, aliisve condicionibus. Quaecumque est causa, parens qui cum filio habitat sustentaculum consolationemque inveniat oportet apud alias familias quae constituunt communitatem christianam, necnon apud instituta pastoralia paroeciae. Hae familiae saepe rebus oeconomicis, incertitudine operis instabilis, difficultate filios alendi, deficiente domu ultra gravantur [279]”.

Mortis aculeum

253. Nonnumquam vita familiaris tangitur morte cuiusdam personae carae. Non possumus id praeterire quin offeramus fidei lumen ad comitandas familias quae hos hos casus patiuntur. [280] Si familia, mortuo aliquo, desereretur, misericordia concideret, pastoralis opportunitas amitteretur, quae ianuas obserare potest ad quamvis evangelizationis operam praestandam.

254. Intellegimus aegritudinem illius qui amatissimam personam amisit, coniugem quocum tot res communicavit. Ipse Iesus fremuit spiritu et ploravit in funebri vigilia amici sui (cfr Io 11,33.35). Et quidni lamentationem intellegamus eius qui filium amisit? Nam “hoc est quasi si tempus sisteret: aperitur abyssus qui devorat praeteritum et etiam futurum tempus. [...] Et aliquando etiam Deus insimulatur. Quot homines – intellegimus eos – Deo irascuntur”. [281] “Viduitas est experientia perquam difficilis. [...] Quidam vires suas scire derivare videntur magis in filios et nepotes, hunc per amorem ostendendum reperientes novam educationis missionem. [...] Qui familiaribus carent, quibus dent operam et a quibus affectum proximitatemque recipiant, sustineri debent a christiana communitate singulari cum sollicitudine ac studio, potissimum si penuria rerum laborant”. [282]

255. Generaliter luctus ob defunctos satis diu produci potest, et, cum pastor hoc iter comitari cupit, accomodare se debet ad necessitates cuiusque periodi. Totus cursus interrogationibus signatur: videlicet mortis causis, iis quae effici debuissent, quid viverit persona moritura... Per sincerum

patiensque orationis et interioris liberationis iter redit pax. Luctu progrediente, oportet adiuvare ad illud intellegendum: quotquot personam caram amisimus, adhuc missionem habemus complendam, nec nobis proficit productus dolor, veluti hic esset obsequii actus. Persona amata nostro non indiget dolore, nec mulcetur, si nostrae vitae detrimentum iniungitur. Neque optimum est amoris signum eam iugiter recordari nominareque, quia hoc significat adhaerere praeterito tempori quod iam non est, potius quam realem personam amare quae nunc in altero mundo invenitur. Ipse corporaliter praesens esse iam non potest, sed, si mors potens est quiddam, “fortis est ut mors dilectio” (*Ct* 8,6). Amor id sentit ac percipit quod sine sonitu auscultat et sine visu videt. Quod non vult personam caram effingere sicut fuit, sed potius eam recipere transformatam, sicut est nunc. Iesus resuscitatus, cum amica eius Maria eum vi amplecti vellet, quaesivit ex ea ne tangeretur (*cfr Io* 20,17), ut eam ad occursum diversum conduceret.

256. Consolatur nos quod ii qui moriuntur non penitus intereunt, et fides confirmat Resuscitatum nos numquam relicturum. Itaque prohibere non possumus quominus mors “venenet nobis vitam, deleat nostros affectus, detrudat nos in vacua obscuriora”. [\[283\]](#) Sacra Scriptura loquitur de Deo qui nos per amorem creavit, quique ita nos fecit ut nostrae vitae morte non imponatur finis (*cfr Sap* 3,2-3). Sanctus Paulus loquitur nobis de occurso cum Christo continuo post mortem: Desidero hanc vitam “dissolvi et cum Christo esse” (*Phil* 1,23). Cum Eo, post mortem nos manet ea “quae praeparavit Deus his, qui diligunt illum” (*1 Cor* 2,9). Praefatio Liturgiae defunctorum mirifice hoc exprimit: “quos contristat certa moriendi condicio, eosdem consoletur futurae immortalitatis promissio. Tuis enim fidelibus, Domine, vita mutatur, non tollitur”. Nam “nostri cari non evanuerunt in tenebras nullitatis: spes certiores nos facit eos esse in manibus bonis fortibusque Dei”. [\[284\]](#)

257. Modus quidam communicandi cum nostris caris qui defuncti sunt est pro iis orare. [\[285\]](#) Dicit Sacra Scriptura: “orare pro mortuis” est “sancta et pia cogitatio” (*2 Mac* 12,44-45). Orare pro eis “non solum eos potest iuvare, sed etiam eorum intercessionem pro nobis efficacem facere”. [\[286\]](#) Apocalypsis martyres exhibet intercedentes pro iis qui iniusta patiuntur in terra (*cfr* 6,9-11), solidales cum hoc itineranti mundo. Nonnulli sancti antequam morerentur suos caros solabantur pollicentes se eis esse affuturos, opem ferentes. Sancta Teresia a Iesu Infante promittebat se in Caelo bonum facere pro eorum. [\[287\]](#) Sanctus Dominicus affirmabat se “utiliorem fore post mortem. [...] potentiorem in gratiis consequendis”. [\[288\]](#) Agitur de caritatis vinculis, [\[289\]](#) quoniam “viatorum unio cum fratribus qui in pace Christi dormierunt, minime intermittitur, immo [...] spiritualium bonorum communicatione roboratur”. [\[290\]](#)

258. Si mortem accipimus, nos ad eam parare possumus. Via est ingredienda augendi amoris erga eos qui nobiscum ambulant, usque ad diem quo “mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor” (*Ap* 21,4). Hoc modo nos comparabimus etiam ad reperiendum nostros caros qui de vita decesserunt. Sicut Iesus matri reddit eius filium mortuum (*cfr Lc* 7,15), idem nobiscum faciet. Ne effundamus vires per diu in praeteritis manentes. Quo melius vivimus hac in terra, eo maiorem felicitatem poterimus communicare cum nostris caris in caelo. Quo magis adolescimus et crescimus, eo plus venustarum rerum poterimus afferre ad nuptias caelestes.

CAPUT SEPTIMUM

INSTITUTIO FILIORUM ROBORANDA

259. In filiorum moribus provehendis multum possunt parentes, sive quod ad bonum sive quod ad malum attinet. Quapropter satius est ut in se hoc officium recipiant, quod vitari non potest, idque conscientia, studio, ratione convenientiaque perficiant. Quandoquidem hoc institutionis familiarum munus perquam implicatum factum est, peculiarem in modum hanc quaestionem excutere cupimus.

Ubi filii?

260. Familia reicere non potest munus sustinendi, comitandi, dirigendi, quamvis iterum detegere suas rationes novasque opes reperire debeat. Prospiciat oportet quid suis filiis prospectet. Ad hoc se interrogent ipsi oportet qui sint ii qui dant operam ut oblectamenta ac ludicra afferantur, ii qui domos per scrinia televisifica ingrediuntur, ii quibus filios committunt ut tempore otii dirigantur. Solummodo cum eis tempus tererentes, plane familiariterque de magni momenti rebus sermocinantes, bonas copias eis tempus acturis praebentes, noxias occupationes ab eis avertemus. Oportet continenter vigilare. Disertio numquam proficit. Dirigere et instituere parvulos adulescentesque debent parentes, ut fortuitis condicionibus occurrere possint, exempli gratia, periculis violentiae, abusibus vel medicamentis stupefactivis obnoxietati.

261. Attamen nimia sollicitudo non educat, et omnes condiciones dirigi non possunt, in quibus filius quidam forte sit. Hic illud valet: "tempus spatio superius est"[291]. Id est agitur de processibus generandis potius quam de spatiis temperandis. Si parens quidam nimis sollicitatur ut sciat ubi sit eius filius atque omnes eius actus recenseat, eius spatia tantummodo dominabitur. Hoc modo eum non educat, non roborat, eum non parat, qui eventuris rebus subveniat. Magni interest potissimum ut amabiliter filius in libertatem maturescat, instituatur, omnibus ex partibus adolescat, veram colendam autonomiam acquirat. Hac tantum ratione filius in se elementa ipse habebit, quibus indiget, ut se tueatur et scienter prudenterque item in difficilibus casibus agat. Quapropter non magni interest ubi corpore sit filius, quocum nunc agat, sed ubi existentialiter reperiatur, eius opinionibus, eius consiliis, eius desideriiis, eius vitae propositis consideratis. Idcirco ex parentibus quaerimus: "Operamne damus ut sciamus "ubi" revera suo in itinere sint filii? Scimusne ubi revera eorum sit anima? Ac potissimum: volumusne id scire?".[292]

262. Si maturitas tantum esset quaedam progrediens res quae in genetico codice continetur, non multum erit faciendum. Prudentia, probum iudicium rectaque agendi mens non pendunt tantum ex elementorum incrementi mera quantitate, sed ex serie quadam elementorum quae intra personam coalescunt; quo liquidius dicamus, in medio loco eius libertatis. Necessario fit ut per proposita ex hac libertate manantia admiratione quisque filius nos commoveat, nostras rationes summoveat, atque bonum est ut id accidat. Educatio secum fert ut responsalis libertas promoveatur, ut in

incipiti re prudenter scienterque eligere valeant; peronae sint quae prorsus intellegant suam vitam et communitatis suis esse in manibus atque hanc item libertatem infinitum esse donum.

Filiorum ethica institutio

263. Etsi schola indigent parentes ut primaria institutio filiis praebatur, eorum moralem institutionem non possunt ipsi umquam ex integro aliis committere. Affectuum morumque proventus cuiusdam personae praecipuam requirit experientiam, ut credatur fiducia dignos esse parentes. Id educationis responsalitem secum fert: affectu ac testimonio oportet fiducia filiorum eliciatur, eis amabilis observantia instilletur. Cum haud percipit filius se suis parentibus carum esse, quamvis sit imperfectus, aut non animadvertit ipsos de se sincere sollicitos esse, id gravissima vulnera infert quae eius in propectu complures difficultates important. Eo quod relinquitur, quod affectione deseritur, acerbior dolor inuritur quam quaedam forte emendatio, quae propter quiddam male actum adhibetur.

264. Parentum officium voluntatis institutionem et propectum bonorum morum affectuumque proclivitates in bonum agendum complectitur. Id secum fert ut optabiles exhibeantur mores ediscendi ac proclivitates augendae. Sed semper de processu ab imperfectis ad pleniora agitur. Quod ad societatem accommodari studetur vel mos est proximam satisfactionem abiciendi ut norma quaedam teneatur et bonus convictus agatur, id ipsum primum est bonum, quod efficit ut ad altiora perveniatur. Moralis institutio per rationes activas et educationis dialogum semper est facienda, quae sensum et propriam filiorum loquelam complectatur. Insuper institutio haec per inductionis viam est perficienda, ita ut filius pondus certorum bonorum, principia normasque per se detegat, potius quam ea tamquam indubitatae veritates imponantur.

265. Ut bene agatur, "congruenter iudicare" vel plane scire quid sit faciendum non sufficit, quamvis sit id primum. Praeter nostras opiniones pluries agimus, vel cum ipsae sint solidae. Licet morale certum iudicium nobis praebeat conscientia, interdum plus possunt aliae res quae non trahunt, si non obtinuimus bonum mente intellectum in nobis radices agere ut altam affectus inclinationem, tamquam boni gustum plus habentem ponderis quam alia pellicentia, ut percipiamus bonum quod intellexerimus ipsum "nobis" hic et nunc etiam esse. Ethica institutio efficax secum fert ut personae demonstretur quoadusque ipsi sit opportunum bene agere. Hodie saepenumero inefficax est aliquid exquirere, quod laborem et detractionem importat, quin palam bonum ostendatur quod per hoc attingi possit.

266. Quosdam habitus consequi est necessarium. Etiam consuetudines, quas parvuli adipiscuntur, suo bene funguntur munere, cum iuvent ut magna interioraque bona in extrarios agendi mores, sanos firmosque, recidant. Quidam sociali sensu et adversus alios bona propensione imbuitur, sed si per diu, urgentibus adlutis, non assuevit dicere "quaeso" "licetne", "gratias ago", eius interior propensio haud facile ad has sententias recidet. Roborata voluntas necnon certa acta iterata agendi mores aedificant, atque conscia, libera aestimataque quorundam

bonorum morum iteratione neglecta, huius habitus institutio haud perficitur. Incitamentum vel invitamentum quae in certum bonum sentimus, virtus haud fiunt, his actibus congruenter non comprobatis.

267. Excelsum quiddam est libertas, quam tamen amittere possumus. Moralis institutio in libertate colenda insidet per proposita, rationes, certos actus, incitamenta, praemia, exempla, exemplaria, signa, cogitationes, cohortationes, rationes agendi immutandas ac dialogos quae personas adiuvent ad interiora principia firma reddenda, quae ad bonum libere agendum perducant. Virtus persuasio est quaedam quae in internum stabileque agendi principium conversa est. Itaque proba vita libertatem efficit, eam roborat eamque educat, cum vitet ne persona serva fiat habituum impellentium, humanitatem adimentium et societati infensarum. Ipsa enim cuiusque hominis dignitas “requirit ut secundum consciam et liberam electionem agat, personaliter scilicet ab intra motus et inductus”. [293]

Sanctionis ut stimuli bonum

268. Necesse pariter est parvulum adolescentemque involvere, ut conscius fiat ex male actis quaedam evenire. Oportet facultas concitetur alterius personam induendi et veniam petendi quendam ob dolorem, cum ei malum factum est. Quaedam sanctiones – contra mores violentos et societati infensos – hoc propositum consequi partim possunt. Magni momenti est puerum firmiter dirigere ad veniam petendam et damnum sarciendum aliis illatum. Cum educationis iter suos fructus ostendit in personalis libertatis maturitate, ipse filius grato animo tandem agnoscat bonum ei fuisse in quadam adolescere familia et ea quoque tolerare quae requirit totus educationis processus.

269. Stimulus est correctio, cum eadem quidem opera aestimantur et agnoscuntur studia, cumque filius detegit parentes tolerantem fiduciam praesentem habere. Puer qui amabiliter corrigitur animadvertit se considerari, percipit se aliquem esse, sentit suas facultates agnoscere parentes. Id non postulat ut parentes macularum sint expertes, sed ut humiliter proprios fines agnoscant atque suum personale studium ostendant in melius inclinandi. Sed illud parentum testimonium oportet habeant pueri: ne illi irae concedant. Filius qui aliquid mali patrat est corrigendus, at numquam ut inimicus vel aliquis in quem propria violentia effundatur. Praeterea adultus agnoscere debet quaedam male acta cum debilitate finibusque illius aetatis propriis iugari. Quocirca noceret mos quidam qui in poenas inferendas usque tenderet, quique non iuvaret ad varias actionum gravitates diiudicandas, et animi desponsionem indignationemque induceret: “Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros” (*Eph 6,4; cfr Col 3,21*).

270. Praecipuum utique est in desiderium concisum non immutari disciplinam, sed in stimulum usque ut ultra procedatur. Quomodo disciplina et interior motus complicantur? Quomodo efficitur ut disciplina aedificationis sit finis cohibens iter quod suscipere debet puer et non eum diruens sit murus vel educationis eum cohibens ratio? Inter duo extrema aequae perniciose aequabilitas

quaedam est invenienda: unum quod mundum exstruere vult, filii desideriis accommodatum, qui adolescit ut iurium non responsalitates subiectum. Alterum quod efficit ut ille vivat suae dignitatis, suae singularis identitatis, suorum iurium minime conscius, officiis obrutus et desideriis adimplendis aliorum obnoxius.

Indulgens realismus

271. Moralis institutio postulat ut ex puero vel adolescente quaerantur ea tantum quae non sint maxime incommoda et modo illa virium requiratur quantitas, quae ad indignationem non ducat vel arcessita modo acta. Ordinarium iter parvos proponendos gradus complectitur, qui intellegi, recipi aestimarique possunt, quique congruam renuntiationem secum ferunt. Alioquin, qui nimium postulat nihil consequitur. Persona, simul ac ab auctoritate se expedierit, probabiliter bene facere cessabit.

272. Ethica institutio nonnumquam contemptum gignit, qui habitis desertionibus, animi destitutionibus, deficienti affectu vel prava parentum effigie concitatur. In ethica bona prociuntur depravatae patris matrisque effigies, vel adulatorum infirmitates. Quocirca adulescentes iuvandi sunt ad analogiam efficiendam: bona ab insignibus potissimum personis perficiuntur, sed etiam non perfecte diversisque gradibus absolvuntur. Eodem tempore, quandoquidem adolescentium repugnantiae cum quibusdam perversis experienciis nectuntur, adiuvandi ii sunt ut iter ingrediantur sanationis huius interioris mundi sauciati, ita ut pervenire possint ad intellegendas et consiliandas sibi personas ac societatem.

273. Cum bona proponuntur gradatim est procedendum, diversimode progrediendum, aetate certisque facultatibus personarum ob oculos habitis ac repudiatis agendi severis immutabilibusque rationibus. Aptia consilia quae psychologia et educationis scientiae conferre possunt ostendunt opus esse gradatim procedere in morum mutationibus acquirendis, sed etiam libertatem aequo cursu stimuloque indigere, quia deserta propriam maturitatem praestare non potest. Certa, realis libertas coartatur et condicionibus astringitur. Neque mera est facultas bonum tota voluntate eligendi. Haud semper actus "voluntarius" et actus "liber" plane distinguuntur. Quidam aliquid improbi firmissima voluntate velle potest, sed propter imperiosam voluptatem vel malam educationem. Hac in re eius deliberatio prorsus est voluntaria, non dissidet ab iis quae vult, sed non est libera, quoniam paene fieri non potest ut malum illud non eligat. Quod accidit ei qui imperiose medicamentis stupefactis vincitur. Quae cum cupit, omnibus viribus ea vult, sed talibus condicionibus astringitur ut tunc diversa eligere non valeat. Itaque eius deliberatio est voluntaria, at non libera. Sensu omnino caret illud "sine ut libere eligat", quia re eligere non potest, ac medicamentis stupefactivis cum committitur, eius obnoxietas tantum augetur. Aliorum auxilio et educationis cursu indiget.

Familiaris vita sicut educationis locus

274. Familia prima est schola hominum bonorum, ubi probus libertatis usus discitur. Proclivitates a pueris adeptae personae penetralia imbuunt atque tota vita perstant ut salutaris erga quiddam bonum animi commotio vel voluntaria quorundam morum reiectio. Personae plures ratione quadam tota vita se gerunt, quippe qui validum putent illum agendi modum, quem a pueris per mutuum quasi comeatum sunt consecuti: “ita sum edoctus”; “hoc est quod mihi tradiderunt”. Intra familiam etiam disci et discerni possunt acri iudicio nuntii variorum instrumentorum communicationis socialis. Pro dolor, pluries quaedam televisificae emissiones ac quaedam nuntii laudativi effigies sunt noxiae et recepta in familiari vita bona infirmant.

275. Hodiernis temporibus, quibus anxietas et technologica celeritas vigent, praecipuum familiarum officium est ad expectandi facultatem educare. Hoc prohibere non vult quominus pueri rebus electronicis ludant, sed ut modum inveniant et consilium diversas rationes diudicandi neque digitalem celeritatem omnibus vitae partibus adhibendi. Procrastinare non est desiderium negare, sed eius satisfactionem differre. Cum pueri vel adolescentes non sunt instituti qui probent quaedam esse expectanda, impotentes ipsi fiunt et cuncta satisfactioni subdunt propriarum proximarum necessitatum et crescunt una cum vitio “quaero et teneo”. Magna est haec fraus quae libertati non favet, sed eam debilitat. Contra autem cum quis instituitur quaedam esse differenda et opportunum tempus expectandum, ostenditur quid significet sui ipsius esse dominum, suarum voluptatum compotem. Ita, cum puer experitur se posse ipsum moderari, suam ipsius aestimationem locupletat. Eodem tempore istud eum edocet ut aliorum libertatem servet. Ut patet, velle hoc non secum fert ut pueri tamquam adulti se gerant, sed ne oportet quidem eorum adolescendi facultatem despiciere ad responsalis libertatis maturitatem consequendam. Apud sanam familiam haec rudimenta ordinaria via per convictus necessitates obtinentur.

276. In familia primo socialis vita agitur, quia primus est locus in quo quisque discit se ante alium ponere, auscultare, participare, tolerare, observare, adiuvere, convivere. Educationis munus mundi societatisque ut “familiaris ambitus” sensum concitare debet; quaedam est educatio usus “habitandi” ultra propriae domus limites. In familiari ambitu docetur proximitatem recuperare, curam habere, salutare. Ibi utique primus exitiosi et immodici amoris sui orbis frangitur ut agnoscat nos cum aliis vivere, qui nostra sollicitudine, nostra lenitate, nostro affectu digni sunt. Minime datur sociale vinculum sine hac prima cotidiana ratione, fere microscopica: cum in proximitate simul vivitur, cum diversis diei momentis convenitur, cum ea quae omnibus cordi est agitantur, cum parvis cotidianisque rebus in vicem subvenitur. Familia cotidie novas rationes reperire debet mutuas agnitiones promovendi.

277. In familiari ambitu consumendi mores denuo etiam disponi possunt, ut communi domui simul succurratur: “in integra oecologia primas partes agit familia, quandoquidem primarium est sociale subiectum, quod intra se duo continet praecipua principia civilis hominum cultus in terra: videlicet communionis principium principiumque fecunditatis”.^[294] Difficilia pariter tempora et calamitosa vitae familiaris ad educationem multum conferre possunt. Id accidit, exempli gratia, cum morbus eam invadit, quoniam “coram morbo in familia etiam exstant difficultates, humanam propter

infirmiorem. Sed plerumque morbi tempore familiaria vincula roborantur. [...] Educatio quae ab humani morbi sensu distrahitur, cor arefacit. Et efficit ut adolescentes “anaesthetizantur” adversum aliorum dolorem, inhabiles ad dolorem communicandum et fines experiendos”.[\[295\]](#)

278. Educationis convenientia inter parentes et filios expeditior fieri potest aut laboriosior communicationum ludorumque technologiis, quae in dies subtiliores fiunt. Cum ipsae recte abhibentur, ad familiae membra illiganda, quamvis distantia, utiles esse possunt. Usus frequens esse potest et utilis ad difficultates expediendas.[\[296\]](#) Illud tamen patere debet: non sufficiunt neque necessitates dimittunt propioris altiorisque dialogi, qui corporis praesentiam sibi vindicat, vel saltem alterius personae vocem. Scimus haec instrumenta interdum distrahere potius quam admoveant, sicut inter cenandum cum quisque suum gestabile telephorum agit vel cum coniugum alter dormiturus alterum exspectat qui per horas instrumento quodam electronico utitur. In familia in hoc etiam ratio debet esse dialogi ac pactionum, quae sinant ut eius membra potius convenient quin in vetita incongrua decident. Ut ut est, novarum formarum communicationum pericula apud pueros et adolescentes ignorari non possunt, qui nonnumquam inertes fiunt et a reali mundo distracti. Hic “autismus technologicus” facilius eos in manibus ponit illorum qui eorum interiora ingredi sua ob commoda nituntur.

279. Ne bonum quidem est omnipotentes fieri in filios parentes, qui eis solummodo confidere possint, quia sic impediunt quominus consentaneus socialitatis processus affectusque maturitas eveniat. Ut efficax sit paternitatis maternitatisque ad ampliora consequenda elongatio, “christianae communitates ad familiarum educationis munus sustinendum vocantur”,[\[297\]](#) peculiarem in modum per initiationis catechesim. Ut integrae educationi faveatur necesse habemus “foedus inter familias et christianam communitatem refovere”.[\[298\]](#) Synodus pondus voluit extollere scholarum catholicarum quae “vitale munus persolvunt in parentibus iuvandis, filios instituturis. [...] Catholicae scholae sua in missione sunt tuendae, qua alumni iuvantur ut maturi adulti fiant, qui per lesu amoris intuitum mundum cernere possint et vitam intellegant vocationem ad Deo serviendum”.[\[299\]](#) Hac de re “palam sunt confirmanda Ecclesiae libertas propriam doctrinam tradendi necnon ius institutorum qui conscientiae causa quibusdam rebus adversantur”.[\[300\]](#)

Sexualis educatio confirmetur

280. Concilium Vaticanum II opus esse edixit ut fruatur “positiva et prudenti educatione sexuali progrediente aetate” pueri et adolescentes, “ratione habita progressus scientiae psychologicae, paedagogicae et didacticae”.[\[301\]](#) Nos interrogare ipsi debemus an nostra educationis instituta hanc provocationem in se receperint. Laboriosum est de sexuali educatione cogitare temporibus quibus sexualitas vulgaris fit et debilitatur. Quae solummodo intra amoris, mutuae donationis educationem intellegi potest. Hac ratione sexualis loquela infeliciter extenuata non deprehenditur, sed illuminata. Sexualis impulsus in cursu sui ipsius cognitionis et progressu item sui ipsius dominandi facultatis coli potest, qui iuvare possunt ad expediendas magni pretii facultates laetandi et amatorie conveniendi.

281. Sexualis educatio explicationem praebet, sed minime obliviscitur pueros adolescentesque plenam maturitatem non attigisse. Explicatio opportuno tempore est agenda et ratione aetati congrua, quam exigunt. Non est operae pretium eos elementis refercire, cum criticus sensus abest coram propositis invadentibus, pornographia effrenate ingruente et stimulis cumulatis qui sexualitem praecidere possunt. Iuvenes oportet sibi sint conscii nuntiis se operiri, qui eorum bonum ac maturitatem non quaerunt. Sunt adiuvandi ut agnoscant et positivos effectus requirant, dum eodem tempore ab omnibus iis se abducunt, quae eorum amandi facultatem depravant. Similiter retinere debemus “novae et congruentioris loquelae necessitatem exstare in primis cum pueri ac adulescentes ad sexualitatis argumentum adducuntur”.[\[302\]](#)

282. Sexualis educatio quae sanam pudicitiam tuetur summi est pretii, quamvis hodie quidam putent rem esse praeteritorum temporum. Naturale est personae praesidium, quae sua interiora tutatur et impedit quominus in merum obiectum immutetur. Dempta pudicitia, affectum et sexualitatem quosdam ad furores redigere possumus, genitalia solum respicientes, morbositates videlicet quae nostram amandi facultatem detorquent et varias sexualis violentae species quae efficiunt ut nos inhumane tractemur vel ad aliis utique detrimentum inferendum perducunt.

283. Saepenumero sexualis educatio in invitatione sistit “se tuendi”, “sexum securum” requirendi. Verba haec negativum morem adversus naturales fines procreationis sexualitatis secum ferunt quasi si forte eveniens filius inimicus sit, prorsus abigendus. Sic Narcissiana violentia potius quam receptio promovetur. Extremae imprudentiae est adolescentes quolibet modo allicere ut suis corporibus ludant ac desideriiis, maturitatem, bona, mutuuum officium et proposita matrimonii propria tamquam si habeant. Sic ipsi iocose ad alteram personam utendam, veluti experientiae obiectum ad ea compensanda quae deficiunt magnos limites, eriguntur. Contra autem praestat ut iis iter demonstretur de diversis amoris rationibus, de mutua cura, de verecunda lenitate, de communicatione sensu locupletata. Haec omnia enim sui donationem comparant, integram quidem et liberalem, quae patebit post publicum officium in oblatis corporibus. Sexualis sic in matrimonio copulatio signum evadet muneris omnia complectentis, antecedenti cuncto itinere locupletati.

284. Non sunt illudendi iuvenes, ad ordines permiscendos inducti: blandimentum “tunc temporis coniunctionis speciem affert, attamen sine amore haec “coniunctio” duas personas extraneas relinquit et ut antea seiunctas”[\[303\]](#). Corporis loquela patiens tirocinium sibi vindicat quod sinit ut intellegantur et educentur propria desideria ad se vere donandum. Cum quis omnia confestim donare vult, fieri potest ut nihil donetur. Aliud est aetatis debilitates eiusve perturbationes intellegere, aliud adolescentes concitare ad immaturitatem eorum rationis amandi producendam. At quis hodie de his rebus loquitur? Quis iuvenes serio animo tractare valet? Quis eos adiuvat ut curiose ad magnum liberalemque amorem se comparent? Nimis leviter sexualis educatio agitur.

285. Sexualis educatio observantiam aestimationemque differentiae etiam complecti debet, quae unicuique facultatem ostendat propriorum limitum inclusionem praetergrediendi ut ad alterum

recipiendum se aperiat. Praeter intellegibiles difficultates, quibus quisque implicari potest, oportet adiuvetur ad proprium corpus accipiendum sic ut creatum est, quoniam “logica proprii corporis temperandi in logicam nonnumquam transformatur subtilem creati dominandi. [...] Etiam proprium corpus aestimare eius in feminino aut masculino genere necessarium est ad recognoscendos nos ipsos in occurso cum alio, a nobis diverso. Hoc modo fieri potest ut gaudenter accipiamus peculiare donum viri vel feminae, operae Dei Creatoris, et mutuo divites nos efficiamus”.^[304] Cum differentiae metus dumtaxat deseritur, potest quidam a propriae personae propriaeque sui fascinationis immanentia sese expedire. Sexualis educatio iuvare debet ad proprium corpus accipiendum, ita ut persona nolit “sexualem differentiam delere, quia nescit cum illa se comparare”.^[305]

286. Ne ignorari quidem potest in personam femininam masculinamve fingendam non confluere solummodo biologica vel genetica elementa, verum etiam complura elementa ad agendi mores, ad familiae historiam, ad cultum, ad anteactas experientias, ad institutionem receptam, ad amicorum, necessariorum aestimatarumque personarum suasiones, atque ad alias concretas condiciones quae accommodationis laborem requirunt, attinentia. Verum est segregare nos non posse ea quae sunt masculina et feminina in Dei creata opera, quae omnes nostras deliberationes experientiasque antecedit, ubi biologica elementa insunt quae ignorari non possunt. Attamen etiam verum est masculinum et femininum haud quiddam esse rigidum. Quapropter fieri potest, exempli gratia, ut masculinus viri mos ad operis condicionem uxoris se temperet et accommodet. Cum ipse in se domestica munia vel quandam operam filiorum colendorum absolvendi officium recipit, non fit minus masculinus, quae porro non ruinam quandam, concessionem vel verecundiam secum ferunt. Pueri sunt iuvandi ad recipiendas, ut ad normas, has salutare “utrimque permutationes”, quae a patris specimine nihil detrahunt dignitatis. Rigor fit immoderatio masculini vel feminini generis, et pueros iuvenesque ad operum permutationem haud educat quae in realibus matrimonii condicionibus reperiuntur. Rigor porro iste progressum cuiusque facultatum cohibere potest, ita ut parum masculinum putetur artem vel saltationem colere ac parum femininum moderationis officium sustinere. Quod, Deo gratias, mutatum est, sed quibusdam locis quaedam incongruae opiniones temperare legitimam libertatem pergunt ac verum progressum praecedere identitatis certae filiorum eorumque facultatum.

Fides transmittenda

287. Filiorum educatio fidei transmittendae cursu informari debet, quod difficulter evenit propter hodiernos vivendi mores, operum horarium, hodierni mundi complexionem, in quo ut se expediant, furiose multi agitantur. ^[306] Nihilominus familia ut locus usque servari debet, ubi rationes percipiendae et fidei pulchritudo, precatio et proximi famulatus docentur. Quod per Baptismum incohatur, in quo, ut sanctus Augustinus asseverabat, matres quae suos filios ferunt “sancto partui cooperantur”.^[307] Exinde iter incipit illius novae vitae incrementi. Fides Dei est donum, in Baptismo receptum, et non fit per humanum actum, attamen parentes Dei sunt instrumenta eius progressionis eiusque proventus. Quocirca “pulchrum est, cum parvulos docent matres ut savium

dent Iesu vel Mariae Virgini. Quanta blanditia in actu illo reperitur! Illo temporis puncto parvulorum cor in precationis spatium convertitur”.^[308] Fides transmittenda secum fert ut parentes verum usum habeant Deo confidendi eumque quaerendi, eius praesidium desiderandi, quoniam tantum hoc modo “generatio generationi laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt” (*Ps* 145,4) et “pater filiis notam faciet veritatem tuam” (*Is* 38,19). Hoc postulat ut invocemus Deum, qui in cordibus agat, ibi quidem quo pervenire non possumus. Granum sinapis, minimum semen, magna fit arbor (cfr *Mt* 13,31-32), sic inter actionem et effectum incongruentiam agnoscimus. Tunc scimus nos doni dominos non esse, sed sollicitos ipsius administratores. Attamen per nostrum sollers officium operam damus ut cum agenti Deo cooperemur. Itaque “curetur ut congruenter adhibeantur coniuges, matres et patres, ut activa subiecta catechesis [...]. Magnum auxilium praebet familiaris catechesis tamquam efficax via ad iuvenes parentes instituendos, ut conscii fiant suae missionis, propriam familiam evangelizantes”.^[309]

288. Fidei educatio unicuique filio accommodatur, quandoquidem instrumenta iam cognita vel praescriptiones suo interdum munere non funguntur. Pueris opus est symbolis, actibus, narrationibus. Adolescentes plerumque in auctoritatis et normarum discrimen veniunt, quapropter convenit ut eorum personales fidei experientiae concitentur utque iis praeclara testimonia ministrentur quae suam propter ipsam pulchritudinem eminent. Parentes qui suorum filiorum fidem comitari volunt, diligenter ipsorum mutationes respiciunt, quia noverunt non imperari sed eorum libertati proponi spiritalem experientiam. Maximum habet pondus quod filii certa ratione percipiant suis parentibus revera magni momenti esse precationem. Idcirco precationis tempora in familia itemque pietatis popularis manifestationes maiorem evangelizationis vim quam omnes catecheses omnesque sermones habere possunt. Matribus cunctis Nostrum animum gratum ostendere potissimum cupimus, quae, ut sancta Monica facere solebat, pro filiis precantur qui Christum deseruerunt.

289. Fidem filiis transmittendi exercitium, id est eiusdem manifestationem et incrementum iuvandi, efficit ut familia Evangelii nuntiatrix fiat, atque ultro eandem transmittat omnibus iis qui ad ipsam accedunt, extra etiam familiarem ipsum ambitum. Filii qui in missionariis familiis crescunt saepenumero missionarii fiunt, si parentes tam prudenter hoc munus gerunt, ut ceteri eos proximos animadvertant amicosque, atque sic filii hac cum mundo necessitudinis ratione adolescent, propriam fidem propriasque opiniones non deserentes. Memoramus ipsum Iesum cum peccatoribus edisse ac bibisse (cfr *Mc* 2,16; *Mt* 11,19), stetisse, cum Samaritana locuturum (cfr *Io* 4,7-26), et noctu Nicodemum recepisse (cfr *Io* 3,1-21), sivisse ut eius pedes ungeret meretrix (cfr *Lc* 7,36-50), sine cunctatione aegrotos tetigisse (cfr *Mc* 1,40-45; 7,33). Idem faciebant eius apostoli, qui ceteros non despiciebant, in parvos selectorum manipulos conclusi, a populi sui vita segregati. Cum eos persequerentur potestates, totius populi benevolentia ipsi fruebantur (cfr *Act* 2,47; 4,21.33; 5,13).

290. “Sic familia ut pastoralis actionis subiectum constituitur per manifestum Evangelii nuntium necnon per traditas formas multiplices testimonii, quae sunt: de pauperibus sollicitudo, in diversas

personas facilitas, creati custodia, moralis materialisque in alias familias, indigentiores potissimum, solidaritas, boni communis promovendi studium, etiam per sociales iniustasque structuras immutandas, initio a locis sumpto, in quo ipsa vivit, per misericordiae corporis spiritusque opera exercita”[310]. Id intra christiani pretiosiora est locandum: scilicet Patris amorem qui nos sustentat ac promovet, qui in toto Iesu Christi dono manifestatur, qui inter nos vivit, unde omnes procellas omnesque vitae vicissitudines ferre coniuncti valeamus. In corde etiam cuiusque familiae *kerygma* personare debet, opportune et importune, ut iter collustret. Omnes effari debemus, initium ab anteacta vita nostris in familiis sumentes: “Et nos, qui credidimus, novimus caritatem, quam habet Deus in nobis” (1 Io 4,16). Ab hac experientia tantum incipiens, familiaris res pastoralis consequi poterit ut familiae sint Ecclesiae domesticae ac simul fermentum apud societatem Evangelii nuntiandi.

CAPUT OCTAVUM

COMITARI, DISCERNERE ET FRAGILITATEM COMPLERE

291. Patres synodales edixerunt Ecclesiam, licet omne dissolutum matrimonii vinculum censeat «Dei oppugnare voluntatem, consciam tamen esse multorum filiorum suorum fragilitatis».[311] Oculis Christi illuminata, «Ecclesia amanter incumbit in eos, qui ipsius vitam imperfecte participant, agnoscens Dei gratiam etiam eorum in vitis operari iisque animum addens benefaciendi alteriusque curae consulendi et communitati, apud quam vivunt et operam exercent, inserviendi».[312] Ceterum habitus hic corroboratur intra fines Anni Iubilare misericordiae dicati. Etiam si perfectionem semper irroget et in plenius responsum Deo devocet, «diligenter prompteque filios Ecclesia oportet comitetur fragiliores seu sauciato ac perditio amore dilaceratos iisdemque fiduciam ac spem reddat novam, sicuti lucem phari in portu facisve in medio populo advectae, quae eos illuminet qui de via deflectant vel tempestate quatiantur».[313] Ne obliviscamur quidem opus Ecclesiae saepe par esse actuositati valetudinarii castrens.

291. Matrimonium christianum, quod speculum est coniunctionis Christi cum Ecclesia eius, in consortio vitae inter virum et mulierem plane perficitur, qui amore exclusivo et libera fidelitate sese mutuo tradunt, usque ad mortem obstringunt et ad vitam tradendam aperiunt, sacramento consecrati, quod ipsis gratiam tribuit sese ut Ecclesiam domesticam et fermentum novae vitae societatis constituendi. Cui insigni proposito alia vinculi genera funditus repugnant, alia autem id partim dumtaxat et per speciem perficiunt. Patres synodales edisseruerunt Ecclesiam extollere bona illa elementa illarum condicionum studere, quae de matrimonio cum eius doctrina nondum vel iam non congruunt.[314]

Gradualitas in re pastoralis

293. Patres etiam peculiare perspexerunt matrimonii civilis tantum condiciones vel, salvis diversitatibus, merae etiam conviventiae, ubi, «cum magnam per vinculum publicum firmitatem

adipiscitur coniunctio ac summa ipsa signatur dilectione officioque erga prolem et facultate angustias superandi, tamquam occasio in itinere ad sacramentum matrimonii videri potest».[315] Ceterum tantae est sollicitudinis quod iuvenes complures matrimonio hodie diffidunt et, munus coniugale indefinite procrastinantes, convivunt, dum alii vero obligationibus sumptis finem imponunt et novas quidem protinus instaurant. Qui «Ecclesiam communicant, misericordii foventique sollicitudine pastorali indigent».[316] Nam, Pastorum est non modo provehere matrimonium christianum, sed etiam «pastoraliter discernere casus multorum, qui id iam vivunt», ut cum his dialogum pastoralibus rationibus innisum instituunt et elementa eorum vitae ostendant, quae eos promptiores in Evangelii matrimonii plenitudinem efficere valeant».[317] In pastoralis opere decernendo convenit, ut «ea percipiantur, quae Evangelii nuntium atque humanum ac spiritalem profectum iuvare possint».[318]

294. «Eo quod matrimonium civile vel, aliis in casibus, mera civilis conviventia eligitur, id non fit propter praeceptionem vel recusationem sacramentalis coniugii, sed ex culturalibus accidentalibusve rationibus oritur».[319] Hoc in rerum statu signa amoris illa aestimanda sunt, quae Dei amorem quodammodo reddunt.[320] Scimus enim «numerum iugiter multiplicari eorum, qui postquam diu una simul vixerunt, efflagitant celebrationem matrimonii in ecclesia. Mera conviventia saepe eligitur ob mentem institutis et perpetuis muneribus generaliter aversam, sed etiam ob securitatem vitae adipiscendam, laborem scilicet et constantem mercedem. Aliis demum in Nationibus coniunctiones de facto, quae dicuntur, innumerae sunt non modo propter familiae matrimoniique abiecta bona, sed propterea quod matrimonium inire, socialium condicionum causa, luxus potissimum habetur et egestas rerum proinde ad coniunctiones de facto instaurandas impellit».[321] Tamen, «haec omnia in bonam partem sunt accipienda, ut occasiones captentur itineris ad plenitudinem matrimonii et familiae Evangelii sub lumine. Quibus de accipiendis patienter sagaciterque comitandis agitur».[322] Quod fecit Iesus cum Samaritana (cfr *Io* 4, 1-26); eam verum amorem desiderantem est adlocutus, ab universis rebus eam expediens, quae vitam eius obumbrabant, ut ad gaudium plenum Evangelii ipsam duceret.

295. Hac ratione, sanctus Ioannes Paulus II illam, quae dicitur, proponebat 'legem gradualitatis', conscius sibi quod homo «cognoscit, diligit et perficit morale bonum secundum incrementi eius gradus».[323] Quae vero non ad 'gradualitatem legis' attinet, sed ad gradualitatem libere prudenterque agendi hominum, qui obiectivas exigentias legis intellegere, perpendere atque plene perficere nequeunt. Nam, lex ipsa donum Dei est viam ostendens, donum utique pro omnibus sine exceptione, virtute gratiae experiendum, etiamsi homo quisque «pedetemptim precedit, Dei donis paulatim accedentibus necnon postulatis eius amoris cosummati et absoluti in totam vitam personalem et socialem hominis».[324]

Condiciones illegitimae, quae dicuntur, diiudicandae[325]

296. Synodus diversas fragilitatis imperfectionisve condiciones tractavit. Hac de re volumus ea hic memorare, quae universae Ecclesiae dilucide enuntianda curavimus, ne forte de via decedamus:

«bina principia totam Ecclesiae historiam percurrunt: alterum excludit, alterum redintegrat [...]. Inde a Concilio Hierosolymitano ac deinceps via Ecclesiae semper fuit via Iesu: via scilicet misericordiae et redintegrationis [...]. Via Ecclesiae ea est quae in perpetuum neminem damnat; Dei misericordiam in omnes effundit eandem sincero corde efflagitantes [...]. Nam, vera caritas semper immerita interminataque et gratuita est!». [326] Proinde, «vitandum est iudicium, quod diversarum condicionum implicationes negligit, ac necessarium est, ut rationem consideremus, qua singuli vivunt et condicionum vitae suae causa patiuntur». [327]

297. De redintegrandis omnibus agitur et quisque adiuvandus est, ut sua ipsius ratione ecclesiam participet et se esse partem animadvertat «immeritae interminataeque et gratuita» misericordiae. Nemo in perpetuum damnari potest, quia haec est mens Evangelii! Non modo ad coniuges disiunctos Nos convertimus illos, qui nova coniunctione vincuntur, sed universos, quicumque eorum sit status. Ut liquet, si quis peccatum obiectivum exhibet quasi christianae rationi omnino adhaereat vel quiddam ab Ecclesiae disciplina alienum inculcare velit, exigere non potest, ut doctrinam tradat vel praedicet, et hac ratione aliquid exstat quod eum a communitate avertit (cfr *Mt* 18, 17); opus est, ut denuo nuntium Evangelii revocationemque ad conversionem audiat. Cui ipsi vero modus quidam inveniri potest vitae communitatis participandae, sicuti socialis actuositas vel coetus precationis vel omnia quae eiusdem consilium, Pastoris consulto iudicio, persuadeat. Quod ad quosdam status “irregulares”, qui dicuntur, attinet, Patres synodales generalem sententiam tulerunt: «Quod ad pastorale opus spectat, eos complectens, qui matrimonium civile inierunt vel divortium fecerunt vel solum convivunt, Ecclesiae est divinam disciplinam gratiae in eorum vita pandere iisdemque subvenire, ut plenitudinem Dei consilii in se adipiscantur», [328] quod semper fieri potest virtute Spiritus Sancti.

298. Seiuncti novam experientes coniunctionem, exempli gratia, tam in variis rerum adiunctis vivere possunt, quae nec recensenda nec concludenda sunt intra saepia restrictiorum formularum, nullo aptae personali pastoralique discretionis interposito spatio. Aliud est alterum coniugium tempore novisque filiis probataque fidelitate assiduaque sollicitudine et christiana navitate corroboratum, vitii propriae condicionis conscium atque magnae difficultatis regrediendi, nisi intus praeonerato animo certitudine novarum culparum, in quas recidatur: Ecclesia enim condiciones agnoscit, in quibus «vir ac mulier gravibus de causis – verbi gratia, ob liberorum educationem – non valeant necessitati separationis satisfacere»; [329] et casus etiam est eorum, qui summopere enisi sunt, ut primum matrimonium servarent, et iniustum passi sunt repudium, vel eorum, «qui novam inierunt convivendi societatem educationis filiorum gratia atque interdum certi sua in intima conscientia sunt superius matrimonium iam irreparabiliter disruptum numquam validum fuisse». [330] Aliud autem est novum coniugium e recentiore divortio manans, omnibus additis consequentibus doloribus turbationibusque, quae sive filios sive familiam universam corripunt, aliudve est casus eorum, qui identidem muneribus suis familiaribus defecit. Manifestum illud habeatur hoc minime esse specimen matrimonii ac familiae ab Evangelio propositum. Patres synodales Pastorum discretionem semper renuntiaverunt «opportuna dispectione» [331] faciendam oculis rerum adiuncta apte dignoscentibus [332]. Scimus utique haud «simplicia exstare

remedia».[333]

299. Multorum Patrum synodaliū sententias libenter suscipimus, qui asserere voluerunt «baptizatos, qui a matrimonio digressi sunt et novas civiliter inierunt nuptias, in communitates christifidelium artius includendi sunt diversis idoneis adhibitis rationibus omnique scandali occasione vitata. Ratio eorum includendorum fundamentum est ipsorum pastoralis prosecutionis, ut non modo sciant se membra esse Corporis Christi, quod est Ecclesia, sed insuper laetam etiam atque uberem experientiam consequantur. Baptizati sunt, fratres ac sorores, effusis donis gratiisque Spiritus Sancti pro bono omnium suffulti. Eorum participatio diversa per ecclesialia servitia exprimi potest, quapropter opus est discernere quanam ex diversis formis exclusionis nunc, quae in provinciis liturgiae, rei pastoralis, institutionis atque institutorum regiminis viget, praeteriri possint. Non modo oportet animadvertant se excommunicatos non esse, sed tamquam membra viva Ecclesiae vivere et maturescere posse, eam percipientes matrem, quae eos semper recipit eosque cum affectu curat et ipsis animum addit vitae Evangeliique iter facturis. Quae integratio necessaria est etiam curae et christianae institutioni eorum filiorum, qui potiores sunt habendi».[334]

300. Si certarum condicionum varietas perpenditur, illas puta, quarum supra mentionem fecimus, intellegitur nullo modo exspectandum fuisse Synodum vel hanc Adhortationem novas normas generales canonicas promulgare posse universis casibus adiungendas. Animus tantum rursus est erigendus ut peculiare casus responsaliter personaliter pastoraliter discernantur, ex quo consequitur, «cum gradus culpae semper idem non sit», [335] consecraria seu effectus alicuius normae non necessario semper eadem esse oportere. [336] Presbyterorum munus est «comitari eos, quorum interest, secundum viam discretionis iuxta magisterium Ecclesiae et placita Episcopi. Hoc in itinere conscientia examinata per momenta cogitationis et resipiscentiae maxime proderit. Digressi a coniuge, qui novas nuptias inierunt, quaerere debent quomodo in filios tum se gesserint, cum coniugium in discrimine versaretur; fuerintne conatus reconciliationis; quanam deserti coniugis sit condicio; qui sint effectus novae vitae consuetudinis de reliqua familia et communitate christifidelium; quodnam iuvenibus praebeat exemplum, qui ad matrimonium ineundum se comparant. Sincera meditatio corroborare potest fidem in misericordiam Dei, quae nemini denegatur». [337] De itinerario prosecutionis discretionisque agitur, quod «hos christifideles dirigit ad plenam conscientiam obtinendam eorundem condicionis coram Deo. Colloquium cum sacerdote in foro interno recti iudicii adiuvat informationem de impedimentis ad maiorem vitae Ecclesiae participationem fovendam et de inceptis, quae eam secudent atque augeant. Et cum in ipsa lege absit gradualitas (cfr *Familiaris consortio*, 34), discretio haec numquam ea posthabere potest quae veritas et caritas Evangelii ab Ecclesia propositae requirunt. Quae ut fiant, confirmandae sunt necessariae condiciones humilitatis, modestiae, amoris Ecclesiae eiusque magisterii per sinceram inquisitionem voluntatis Dei et desiderium adipiscendi responsum eidem perfectius». [338] Haec forma mentis maximi est momenti ad grave vitandum periculum ne falsi nuntii praebeantur, sicuti notio, qua sacerdos quidam “exceptiones” citius concedere possit vel quidam sacramentalibus privilegiis pro beneficiis usurpare valeant. Cum aliquis responsalis

verecundusque invenitur, qui sua desiderata supra bonum commune Ecclesiae ponere non postulet, et Pastor qui huius rei agnoscere gravitatem rei disputatae valet, vitatur periculum, ne peculiaris quaedam discretio ad illud cogitandum inducat Ecclesiam duplicem agendi rationem persequi.

Adiuncta extenuatia in discretione pastoralis

301. Ad apte intellegendam causam, qua peculiaris discretio sive fieri potest sive facienda est in "irregularibus", qui dicuntur, casibus quibusdam, aliqua semper ob oculos est habenda quaestio, ne umquam existimetur Evangelii postulata extenuari. Ecclesia firma mentis animaeque consideratione fulcitur adiunctisque extenuantibus dat rationem. Quapropter, iam dici non potest omnes, qui in quadam "irregulari", quae dicitur, vivunt condicione, in statu esse peccati mortalis gratiaeque sanctificantis expertes. Ex mera legis ignorantione limites non pendent. Subiectus, quamvis prorsus sit normae conscius, magna difficultate affici potest in intellegenda «bona quae continentur norma morali»^[339] vel certis in condicionibus versari, quae eum aliter agere vetant et alium consilium inire, quin in novam laberetur culpam. Sicuti Patres synodales optime locuti sunt, «quaedam interesse possunt, quae facultatem diiudicandi restringunt».^[340] Sanctus Thomas Aquinas iam agnoscebat quemdam gratiam et caritatem habere posse, sed nullam vero ex virtutibus exercere,^[341] ita ut, licet omnes induat morales virtutes infusas, nullam ex his liquido ostendat, quia exercitium actuum eiusdem virtutis patitur difficultatem in operando: «Aliqui sancti dicuntur quasdam virtutes non habere, in quantum patiuntur difficultatem in actibus earum, [...] quamvis habitus omnium virtutum habeant».^[342]

302. De his impedimentis *Catechismus Catholicae Ecclesiae* prompte loquitur: «Imputabilitas et responsabilitas cuiusdam actionis minui possunt atque adeo supprimi propter ignorantiam, inadvertentiam, violentiam, metum, consuetudines, affectiones immoderatas et alias psychicas vel sociales causas».^[343] Alibi quaedam rursus referuntur quae responsabilitatem moralem imminuunt ipseque magnum tribuit pondus immaturitati affectivae, robori habituum contractorum, aegritudinis statui vel aliis elementis psychicis vel socialibus.^[344] Quapropter negativum de re obiectiva iudicium haud secum fert imputabilitatem vel culpabilitatem implicatae personae.^[345] Has inter persuasiones perapta existimamus quae multi Patres synodales protulerunt: «Certis in quibusdam condicionibus magnopere laborant personae de alio modo operando. [...] Discretio pastoralis oportet, spectata etiam conscientia personarum recte informata, his casibus consulat. Effectus quoque ipsi operationis non necessarie omnibus in casibus iidem sunt».^[346]

303. Initium sumentes a certorum impedimentorum pondere, adicere possumus personarum conscientiam operibus Ecclesiae magis implicandam esse quibusdam in condicionibus, quae rationi nostrae matrimonii obiective non adhaerent. Opus est scilicet maturationem fovere conscientiae sapientiae lumine informatae, institutae atque vigili gravique discretione Pastoris comitatae, simulque maiorem usque fiduciam gratiae suscitare. Haec autem conscientia agnoscere potest non modo statum quendam ab universali Evangelii mandato obiective dissidere;

etiam sincere honesteque agnoscere poteste quod sit liberale responsum in praesenti Deo reddendum atque eadem conscientia firma quadam morali certitudine intellegere illam esse oblationem quam ipse Deus requirit inter rerum impediendum congeriem, quamvis perfectum nondum sit obiectivum exemplar. Quidquid est memoramus utique hanc discretionem dynamicam esse quae semper patere debet ad nova incrementi itinera suscipienda novasque deliberationes, quae exemplar perficere plenius sinant.

Normae et discretio

304. Pusilli animi est tantummodo considerare an alicuius personae agendi ratio legi generalive normae concinat necne, quandoquidem hoc non sufficit ut dignoscatur et habeatur plena erga Deum fidelitas in certa hominis existentia. Memoria teneamus, quaesumus, quod sanctus Thomas Aquinas docet quodque in discretionem pastoralis funditus occupemus: «Etsi in communibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad propria descenditur, tanto magis invenitur defectus. [...] In operativis autem non est eadem veritas vel rectitudo practica apud omnes quantum ad propria, sed solum quantum ad communia, et apud illos apud quos est eadem rectitudo in propriis, non est aequaliter omnibus nota. [...] Et hoc tanto magis invenitur deficere, quanto magis ad particularia descenditur».[347] Verum est normas generales bonum praebere, numquam praetermittendum atque negligendum, sed tamen intra se terminare ipsae nequeunt universa peculiaris adiuncta. Est pariter dicendum, hanc ipsam ob causam, quod ad practica discretionem coram peculiari conditione pertinet, nullomodo ad instar normae haberi posse. Quod non modo indicem casuum intolerabilem conficeret, verum etiam ea bona in discrimen adduceret peculiari cura tuenda.[348]

305. Itaque, Pastor sibi placere non potest, leges morales solummodo imponens iis, qui in "irregularibus" condicionibus versantur, quasi si petrae sint quae in vitam personarum iaciantur. Quod attinet ad obserata corda, quae saepe etiam sub ipsis ecclesiasticis praeceptis latent, «ut super cathedram Moysis sedeant et iudicent, iactanter interdum ac leviter, difficiles casus et familias animo vulneratas».[349] Eandem sententiam protulit Commissio Theologica Internationalis: «Lex naturalis ergo proponi nequit tamquam constituta regularum series, quae a priori subiecto morali imponuntur, sed fons est inspirationis obiectivae in eius iter, praecipue personale, ad consilium ineundum».[350] Propter impedimenta vel elementa extenuantia fieri potest, ut in obiectiva peccati conditione – si quis subiective culpa careat vel eiusdem plane non sit noxius – quidam vivere possit in gratia Dei, amare possit et crescere possit quoque in vita gratiae et caritatis, huic proposito opem ferente Ecclesia.[351] Discretio quidem iuvare debet ad semitas possibles reperiendas, unde Deo respondeatur ac per limites proficeatur. Si omnia alba atrave esse credimus, aditum gratiae et incrementi quandoque intercludimus itineraque sanctificationis infringimus, quae vero gloriam Deo reddunt. Commonefacimus «parvum gressum magna inter humanae vitae limites gratiores Deo esse posse quam vitam extrinsecus incorruptam eorum, qui dies degunt haud maioribus difficultatibus occurrentes».[352] Certa pastoralis cura ministrorum et communitatum facere non potest quin hanc rem ipsi sibi sumat.

306. Quibuscumque in rerum adiunctis coram illis, qui difficultatem patiuntur ad legem divinam plene vivendam, adhortatio celebranda est, ut viam caritatis currant. Praeceptum primum christianorum caritas fraterna est (cfr *Io* 5,12; *Gal* 5,14). Ne obliviscamur quidem Scripturarum promissum: «Ante omnia mutuam in vosmetipsos caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum» (*1 Pe* 4, 8); «Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum» (*Dan* 4,24); «Ignem ardentem exstinguit aqua, sic eleemosyna expiat peccata» (*Sir* 3,30). Quae etiam sanctus Augustinus ipse docet: «Sicut ergo, si periclitaremur incendio, ad aquam utique curreremus, quo posset exstingui, [...] ita si de nostro foeno aliqua peccati flamma surrexit et propterea conturbamur, data occasione misericordissimi operis, tamquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud quod exarserat opprimatur».[353]

Misericordiae pastoralis ratio

307. Ad pravam quamque enarrationem vitandam, illud admonemus, nullo pacto Ecclesiam a proponendo matrimonii specimine recedere debere, Dei scilicet consilio omni in eius granditate: «Iuvenes baptizati fovendi sunt, ne morentur pro divitiis, quas eorum consilii amoris sacramentum matrimonii adicit, praesidio innitentes, quod a gratia Christi accipiunt ac facultate vitae Ecclesiae plene communicandae».[354] Ignavia cordis vel universae relativismi formae vel immodicus pudor in eo proferendo haberi possunt tamquam defectus fidelitatis Evangelio et defectus quoque amoris Ecclesiae erga eosdem iuvenes. Singularium adiunctorum perceptio numquam luminis plenioris virtutis fert obumbrationem neque deminutionem illorum, quae Iesus hominibus ponit. Hodie pastoralis sollicitudini de dissolutis coniugiis opus pastorale matrimonia corroborandi praestat, ut hac via discidia praecaveantur.

308. Tamen, nostra ex conscientia ponderis excusationum – quae scilicet ad rem psychologiam, historicam et etiam biologiam pertinere possunt – consequitur «nihil deminuto evangelici exemplaris bono, personarum incrementi evenientia itinera misericorditer ac patienter esse sectanda, quae in dies adolescunt», et locum dandum «misericordiae Domini, quae nos compellit quam maximum ad bonum faciendum».[355] Eos intellegimus, qui restrictiorem malunt operam pastorem, incertitudini nullo dato loco. Sincero autem corde Iesum credimus proclivem ad bonum velle Ecclesiam, quod Spiritus in fragilitatem spargit; Matrem scilicet quae, cum suam doctrinam obiectivam plane manifestat, tum «a bono, quantum potest, non recedit, quamvis periculum adeat ne viae sordibus inquinetur».[356] Pastores, qui christifidelibus integrum Evangelii exemplar et doctrinam Ecclesiae irrogant, eosdem quoque adiuvere debent, ut rationem sumant miserationis erga debiles atque persecutiones vel acerbiores intolerantioresque vitent sententias. Evangelium ipsum ex nobis poscit, ne iudicemus neque condemnemus (cfr *Mt* 7,1; *Lc* 6,37). Iesus «praestolatur nos a tectis propriis vel communitatis quaerendis praesidiis recedere, quae nobis permittunt, ut a laqueo humanae scaenae distemus et in veram existentiam aliorum prorsus ingredi consentientes, vim lenitudinis noverimus. Quae cum facimus, vita nobis praeclare usque complicatur».[357]

309. Opus Providentiae est quod hae cogitationes tempore Anni Iubilarens explicentur misericordiae addicti, quia etiam diversissimis in casibus ad familiam pertinentibus «Ecclesia missionem habet Dei misericordiae nuntiandae, cordis scilicet micantis Evangelii, cui per eam sive animus sive mens ipsa uniuscuiusque est adipiscenda. Sponsa Christi morem Filii Dei sibi assumit, qui omnibus nullo excerpto occurrat».[358] Probe scit ipsum Iesum Pastorem centum, non autem nonaginta novem ovium praeberi. Quas omnes quaerit. Hac ex conscientia fieri poterit, ut «ad omnes, sive credentes sive a fide remotos, balsamum misericordiae pervenire possit, Regni Dei signum quod iam stat nobiscum».[359]

310. Illud oblivisci non possumus: «Misericordia non modo actum Patris est, sed ratio fit, qua veri eius filii recognoscuntur. Vocamur prorsus ad vivendum de misericordia, quia in nosmet primos misericordia adhibita est».[360] Non agitur de amoena invitatione vel de debili responso prae Dei amore, qui homines semper provehere vult, quia «epistylum Ecclesiae vitam sustinens misericordia est. Omnia eiusdem pastoralis actuositatis oporteret indulgenti pietate praecingatur, qua credentes appellat; nihil nuntii testimoniique eius mundo egere potest misericordia».[361] Revera nonnumquam «tamquam observatores gratiae, non autem adiutores nos gerimus. Ecclesia autem non portorium, sed paterna est domus illa, ubi unicuique una cum laboriosa eius vita locus patet».[362]

311. Theologiae moralis doctrina has considerationes sibi sumere nullo modo praetermittere debet, quoniam, licet verum sit integritatem doctrinae moralis Ecclesiae curari oportere, peculiari semper studio Evangelii summa praecipuaque bona extollenda sunt ac fovenda.[363] primatus praesertim caritatis, quae gratuita divini amoris operationi respondet. Quandoque locum in re pastorali interminato amori Dei dare multi constat.[364] Complures misericordiae imponimus condiciones, quam certo sensu ac vera significatione viduamus, quod pessimum iter est ad Evangelium diluendum. Verum est, exempli gratia, misericordiam haud submovere iustitiam et veritatem, nobis tamen in primis confitendum est misericordiam plenitudinem esse iustitiae atque clarissimam veritatis Dei manifestationem. Semper igitur convenit existimare «imparem notionem quamlibet theologicae quae ad ultimum in dubium ipsius Dei omnipotentiam, nominatim eius misericordiam, devocet».[365]

312. Haec conspectum nobis praebent ac signa, quae nos quominus algidam explicemus rem moralem et quasi e mensa scriptoria edictam de maximis disputandis argumentis impediunt et nos potius in rerum adiunctis collocant discretionis pastoralis misericordiae amore refertae atque ad intellegendum, ad ignoscendum, ad comitandum, ad sperandum ac praesertim ad suscipiendum iugiter se comparat. Ratio haec est, quae in Ecclesia semper polleat oportet, ut «cor reseratum experiatur illis, qui in diversissimis suburbiis existentialibus vivunt».[366] Christifideles in angustiis modo versantes exhortamur, ut fidenter colloquium instituant cum pastoribus suis vel cum laicis Domino deditis. In quibus vero haud semper corroborabuntur opiniones ac desiderata eorum, sed lumen certe accipient, quo magis intellegant quae ad seipsos pertinent et invenire valeant iter propriae maturationis. Et pastores Ipsi exhortamur, ut eos animi affectione et aequanimiter audiant

et sincere cupiant uniuscuiusque cor, angoribus cumulatum, ingredi et intellegere mentes, necnon eos adiuvent, quo melius vivant et locum suum in Ecclesia reperiant.

CAPUT NONUS

SPIRITALITAS CONIUGALIS ET FAMILIARIS

313. Caritas varias induit species iuxta genus conversationis, ad quam quisque vocatus est. Iam aliquot abhinc decennis Concilium Oecumenicum Vaticanum II quod ad apostolatam laicorum spectabat, extollebat spiritualitatem e vita familiari manantem. Et asserebat nempe laicorum spiritualis vitae rationem «notam peculiarem assumere» debere etiam «ex statu matrimonii et familiae» [367] neque curas familiares extraneas esse ab eorundem vita spiritali. [368] Proinde, operae pretium est breviter huius spiritualitatis praecipua recensere, quae in vitae familiaris necessitudinum actuositate evolvitur.

Spiritualitas communionis supernaturalis

314. Semper locuti sumus de inhabitatione Dei in interiore homine, qui in eiusdem gratia vivit. Hodie vero Trinitatem etiam dicere possumus in templo communionis matrimonialis inesse. Quemadmodum habitat in laudibus populi sui (cfr *Ps* 22,4) sic in amore coniugali penitus vivit, qui eandem clarificat.

315. Praesentia Dei vera corporalique in familia habitat omnibus sollicitudinibus, certaminibus, gaudiisque et cotidianis propositis onerata. Cum enim apud familiam degitur, arduum hic est simulare atque ementiri, neque tegumentum oris ostendere possumus. Ubi amor hanc genuinitatem animat, ibi Dominus sua cum laetitia regnat et pace. Spiritualitas amoris familiaris multitudine verorum corporaliumque efficitur gestuum. Hac in donorum occursumque varietate, qui communionem provehant, Deus tabernaculum suum collocat. Quod studium «humana simul et divina consociat», [369] cum refertum sit amore Dei. Matrimonialis itaque spiritualitas est vinculi spiritualitas ubi divinus habitat amor.

316. Communio familiaris bene acta verum est iter sanctificationis in ordinaria vita et mystici profectus, instrumentum nempe intimae coniunctionis cum Deo. Nam, vitae familiaris fraternae et communes necessitates occasio sunt cordis plus plusque adaperiendi, quod plenioris usque occursum cum Domino facit facultatem. Verbum Deo sic effatur: «Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat» (cfr *1 Io* 2,11), «manet in morte» (*1 Io* 3,14) et «non cognovit Deum» (*1 Io* 4,8). Decessor Noster Benedictus XVI ita asseveravit: «Qui ab oculis proximum amovet, coram Deo etiam fit caecus» [370] et amor denique unica est lux, «quae renovato usque modo obscurum orbem illuminat». [371] Tantum «si diligamus invicem, Deus in nobis manet et caritas eius in nobis consummata est» (*1 Io* 4,12). Et cum «persona humana nativam atque propriam dimensionem socialem» [372] sortiatur et «primigenia et originalis expressio rationis socialis personae in

coniugio et in familia» [373] sit, spiritualitas igitur in communioni familiari incarnatur. Proinde, qui alta spiritalia cupiunt nullomodo animadvertant oportet familiam a vitae spiritualis profectu eos avertere, sed iter esse quod Dominus ad eosdem in culmen mysticae coniunctionis transvehendos adhibetur.

Sub lumen Paschatis in oratione coniuncti

317. Si familia in Christum coire valet, consociat Ille atque illuminat totam vitam familiarem. Tum dolores curasque experimur cum Cruce Domini communicantes atque amplexus cum Eo efficit, ut tempora pessima perferantur. Tristibus in diebus familiae demum coniunctio quaedam viget cum Iesu derelicto, quae discidium vitare potest. Familiae paulatim contingunt «Spiritus Sancti adiuvente gratia, sanctitatem suam per consuetudinem vitae matrimonialis, etiam Crucis Christi communicantes mysterium, quod aerumnas et poenas in oblationem amoris convertit». [374] Ceterum tempora laetitiae otiumque vel festum et sexualitas ipsa experienda sunt tamquam plenioris vitae Eiusdem Resurrectionis participatio. Coniuges variis gestibus cotidianis theologale informant «spatium, in quo experiri quis potest Dominum resuscitatum mystice adesse». [375]

318. Prex in familia instrumentum eximium est, quo fides haec paschalis exprimitur et corroboretur. [376] Temporis particulae singulis diebus inveniri possunt, ut coram Domino viventi cohaeremus sollicitudinesque nostras ei pandamus et pro familiae necessitatibus oremus vel pro quopiam nunc laborante et auxilium ab eo ad amandum quaeramus, gratias pro vita et bonis agamus, a Beata Maria Virgine petamus ut suo Matris pallio nos protegat. Verbis humilibus parvum hoc tempus orationis familiae maxime proficere potest. Variarum popularis pietatis testificationes permultis familiis thesaurus sunt spiritualitatis. Iter precationis communitatis fastigium attingit in participatione omnium Eucharistiae, praesertim intra requiem diei dominicae. Iesus ianuam pualtat familiae, ut eiusdem sese Cena eucharisticae societ (cfr *Ap* 3,20). Hic coniuges paschale foedus iugiter obsignare possunt, quod eosdem interiunxit et Testamentum repercutit a Deo cum hominibus super Crucem obsignatum. [377] Eucharistia sacramentum est Novi Testamenti, in quo actio redemptionis Christi conficitur (cfr *Lc* 22,20). Sic intima eminent vincula, quae inter vitam coniugalem et Eucharistiam intercedunt. [378] Alimonia eucharistica vis est et fomentum ut cotidie foedus matrimoniale uti «Ecclesia domestica» [379] teneatur.

Spiritualitas exclusivi et liberi amoris

319. In matrimonio sensum etiam experimur ad unam tantum personam omnino pertinendi. Coniuges provocationem et anhelitum insimul senescendi ac pereundi sumunt, fidelitatem Dei sic referentes. Firmum hoc consilium, quod quandam vivendi rationem designat, est «interior necessitas ipsius foederis coniugalis» [380] est, quia «qui consilium non iniit amandi semper difficulter unum diem sincero corde amare potest». [381] Hoc autem nullam haberet significationem spiritualem, si tantum de lege leviter ageretur excepta. Ac cor pertinet quod Deus tantum videt in abscondito (cfr *Mt* 5,28). Cotidie mane, cum surgitur, consilium hoc fidelitatis,

quodcumque intra diem accidit, coram Deo renovatur. Et cum quisque cubitum abiat, exurgere exspectat dum hanc vicem continuet, Domini auxilio confisus. Coniunx quisque sic alteri signum est et instrumentum propinquitatis Domini, qui nos numquam desolat: «Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi» (*Mt 28, 20*).

320. Est ubi amor coniugum maximam attingat liberationem et locus fiat probae libertatis: cum vero quisque comperit alterum suum non esse mancipium, sed possessorem multo superiorem habere, unicum Dominum suum. Nemo sibi vindicare potest animi penetralia personae amatae se possidere, cuius medium locum vitae Ipse tantum potest occupare. Pariter realitatis spiritualis notio efficit, ut coniunx nullo modo efflagitet alterum ipsius necessitates plene implere. Utriusque iter spiritale – sicuti Theodoricus Bonhoeffer optime explanabat – alterum adiuvet oportet ad alterius effectam speciminis rationem amovendam [382] et desinat exspectare ab altero quod tantum est divini amoris. Hoc vero interiorem postulat spoliationem. Spatium exclusivum, quod quisque coniugum servat ad sui ipsius conversationem cum Deo, non modo vulneribus convictus indulget sanandis, sed etiam propriae vitae significationi inveniendae in amore Dei. Actionem Spiritus cotidie invocare necesse habemus, ut libertas haec interior exstare possit.

Spiritualitas curae, consolationis et incitamenti

321. «Coniuges christiani sibi invicem, filiis suis ceterisque familiaribus, gratiae cooperatores sunt et fidei testes». [383] Deus iis generationem ac sollicitudinem suadet. En cur familia «fuit 'valetudinarium' usque proximum». [384] Alteri alteros cura afficiamus, foveamus et concitemus invicem atque haec omnia vivamus tamquam spiritualitatis nostrae familiaris partem. Coniugum vita participatio est fecundae operae Dei atque quisque pro aliis perpetua est provocatio Spiritus. Amor Dei enuntiatur «verbis vivis et concretis, quibus vir et mulier inter se coniugalem permutant amorem». [385] Uterque ita sunt mutuo percussio divini amoris, qui verbo, oculis, auxilio, blanditiis et amplexu consolatur. Proinde, «familiam velle constituere est audere somnium Dei communicare, audere cum Eo somniare, audere cum Eo aedificare, audere cum Eo historiam hanc in discrimen committere et mundum conciliare, ubi nemo se relictum percipiat». [386]

322. Universa vita familiae misericors est 'pabulum'. Quisque diligenter effingit atque inscribit in vita alterius: «Epistula nostra vos estis, scripta in cordibus nostris [...] non atramento, sed Spiritu Dei vivi» (*2 Cor 3,2-3*) Quisque «homines capiens» (*Lc 5,10*) est, qui in nomine Iesu laxat retia in alios (cfr *Lc 5,5*) vel agricola mollem glaebam sollicitans illam, quae cari eius sunt, optima eorum exercens. Fecunditas matrimonialis incrementum postulat, quia «amare aliquem obscurum quiddam et inopinabile ab eodem est sperare; simulque eidem instrumenta ad hanc spem respondentia quodammodo est porrigere». [387] Hic utique cultus est Deo tributus, cum bona multa Ipse in aliis severit, confisus nos eadem augere.

323. Altus spiritualis est usus carum quemque oculis Dei contemplari atque in eo Christum agnoscere. Hoc promptam petit mentem ac gratuitam, quae in dignitate eiusdem adiuvet

intellegenda. Omnino coram altero possumus consistere, si modo nosmetipsos gratuito condonamus, circumstantium omnium obliti. Proinde, amatus omnem emeretur considerationem. Iesus exemplar erat, quia accurrentem quemque, ut Eum adloqueretur, intuitus diligebat (cfr *Mc* 10,21). Nemo in conspectu Eius se putabat neglectum, quandoquidem verba eius et gestus hanc interrogationem prae se ferebant: «Quid vis tibi faciam?» (*Mc* 10,51). Hoc experimur in cotidianis familiae negotiis. In qua recordamur nobiscum viventem quemque omnia emerere, cum infinita honestetur dignitate, infinito amore a Patre dilectus. Pietas sic florescit, quae valeat «in altero suscitare laetitiam sese amatum percipiendi. Quae vero praesertim exprimitur in alterius limitibus exquisite perspiciendis, cum potissime significanter emicant». [388]

324. Spiritu afflante, familiari communitas non modo vitam suscipit et in gremio suo gignit, sed aperitur, a seipso egreditur ad bonum suum super alios effundendum, ut iisdem consulat ac ferat felicitatem. Secunda haec voluntas ex hospitalitate praesertim perlucet [389] Dei Verbo speciose concitata: «Hospitalitatem nolite oblivisci; per hanc enim quidam nescientes hospitio receperunt angelos» (*Heb* 13,2). Ubi suscipit familia et aliis occursat, praesertim pauperibus et derelictis, ea «constituitur symbolum, testificatio, communicatio Ecclesiae maternitatis». [390] Amor socialis, Trinitatis speculum, reapse illud est quod significationem spiritalem familiae et missionem eius extra aggregat, quia *kerygma* omnibus cum eiusdem necessitatibus ad communitatem pertinentibus repraesentat. Familia peculiarem spiritualitatem suam vivit tamquam Ecclesia domestica simul atque vitalis particula ad innovationem mundi necessaria. [391]

* * *

325. Verba Magistri (cfr *Mt* 22,30) et sancti Pauli (cfr *1 Cor* 7,29-31) de matrimonio - haud casu - prostremo finitoque statui existentiae nostrae adduntur, quae repetere nostrum est. Coniuges ita sensum itineris agnoscere poterunt, quod conficiunt. Nam, sicuti hac in Adhortatione saepius memoravimus, nulla familia res est perfecta ac semel instaurata, sed secum fert ut pedetemptim propria amandi facultas proferatur. Vocatio adest perpetua e Trinitatis plena communionem manans, ex mira coniunctione Christi cum Ecclesia eius, ex pulchra communitate illa quae est Nazarethana familia atque ex immaculata fraternitate sanctorum in caelis. Plenitudinis tamen contemplatio nondum adepta iter historicum adeo nos sinit definire, quod tamquam familiae emetitur, ut e necessitudinibus cum aliis perfectionem exigere remittamus sanctimoniamque item animi et perseverantiam, quas in Regno ultimo tantum valebimus invenire. Impedit, insuper, ne degentes in statu magnae fragilitatis duriter iudicemus. Omnes vocati sumus, ut perseveranter renovemus animi intentionem ad aliud quoddam nosmetipsos ac limites nostros transcendens, atque quaeque familia vivere debet hoc perpetuo stimulo concitata. Incedamus, familiae, incedamus perseverantes! Promissum cumulatur in dies. Ne desperemus quidem propter limites nostros neque a plenitudine amoris et communionis nobis promissa quaerenda recedamus umquam.

Oratio ad Sanctam Familiam

lesu, Maria et Ioseph,
in vobis contemplamur
splendorem veri amoris,
nos vobis fidentes commendamus.

Sancta Nazarethana Familia,
praesta, ut et nostrae familiae
loci fiant communionis et cenacula precationis,
verae scholae Evangelii
et parvae Ecclesiae domesticae.

Sancta Nazarethana Familia,
ne iam in familiis adsint
vis, repudiatio, seiunctio,
et quicumque iniuria vel scandalo laesus est
consoletur promptius ac reficiatur.

Sancta Nazarethana Familia,
fac, ut conscii omnes fiamus
sacrosanctae inviolabilisque naturae familiae
pulchritudinisque eius apud Dei propositum.

lesu, Maria et Ioseph,
audite nos et precem nostram suscipite.

Amen.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIX mensis Martii, in sollemnitate Sancti Ioseph, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

[1] Synodus Episcoporum, III, Coetus Generalis Extraordinarius, *Le sfide pastorali sulla famiglia nel contesto dell'evangelizzazione (Relatio Synodi)*, 18 Octobris 2014, 2. Dehinc: *Rel Syn 2014*.

[2] Id., *La vocazione e la missione della famiglia nella Chiesa e nel mondo contemporaneo (Relatio finalis)*, Octobris 2015, 3. Dehinc: *Rel Fin 2015*.

[3] *Sermo habitus conclusionis occasione Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum* (24 Octobris 2014); Cfr Pontificia Commissio Biblica, *Fede e cultura della Bibbia. Atti della Sessione*

plenaria 1979 della Pontificia Commissione Biblica, LDC, Leumann 1981; Conc. Oecum. Vat. II, Const. *Gaudium et spes*, 44; Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 52: AAS 83 (1991), 300; Adhort. ap. *Evangelii Gaudium* (24 Novembris 2013), 69.117: AAS 105 (2013), 1049, 1068-1069.

[4] *Sermo ad familias apud Sancti Iacobi de Cuba urbem* (22 Septembris 2015): *l'Osservatore Romano*, 24 Septembris 2015, p. 7.

[5] Georgius Aloisius Borges, "Calle desconocida", in *Fervor de Buenos Aires*, Buenos Aires 2011, 23.

[6] *Homilia in Missa in urbe Angelorum* (28 Ianuarii 1979), 2: AAS 71 (1979), 184.

[7] Cfr *ibid.*

[8] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 4: AAS 74 (1982), 84.

[9] *Rel Syn* 2014, 5.

[10] Conferentia Episcoporum Hispaniae, *Matrimonio y familia* (6 Iulii 1979), 3, 16. 23.

[11] *Rel Fin* 2015, 5.

[12] *Rel Syn* 2014, 5.

[13] *Rel Fin* 2015, 8.

[14] *Sermo ad Congressionem Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis* (24 Septembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 26 Septembris 2015, p. 7.

[15] *Rel Fin* 2015, 29.

[16] *Rel Syn* 2014, 10.

[17] III Coetus Generalis Extraordinarius Synodi Episcoporum, *Nuntius*, 18 Octobris 2014.

[18] *Rel Syn* 2014, 10.

[19] *Rel Fin* 2015, 7.

[20] *Ibid.*, 63.

- [21] Conferentia Episcoporum Catholicorum Coreae, *Towards a Culture of Life* (15 Martii 2007).
- [22] *Rel Syn* 2014, 6.
- [23] Pontificium consilium pro Familia, *Carta dei diritti della famiglia* (22 Octobris 1983), 11.
- [24] Cfr *Rel Fin* 2015, 11-12.
- [25] Pontificium consilium pro Familia, *Carta dei diritti della famiglia* (22 Octobris 1983), Intr..
- [26] *Ibid.*, 9.
- [27] *Rel Fin* 2015, 14.
- [28] *Rel Syn* 2014, 8.
- [29] Cfr *Rel Fin* 2015, 78.
- [30] *Rel Syn* 2014, 8.
- [31] *Rel Fin* 2015, 23. Cfr *Messaggio per la Giornata Mondiale del Migrante e del Rifugiato 2016* (12 Septembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 2 Octobris 2015, p. 8.
- [32] *Ibid.*, 24.
- [33] *Ibid.*, 24.
- [34] *Ibid.*, 17.
- [35] *Ibid.*, 20.
- [36] Cfr *ibid.*, 15.
- [37] Postremus sermo XVI Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum (24 Octobris 2015): *L'Osservatore Romano* 26-27 Octobris 2015, p. 13.
- [38] Conferentia Episcopalis Argentinae, *Navega mar adentro* (31 Maii 2003), 42.
- [39] Conferentia Episcoporum Mexicanorum, *Que en Cristo Nuestra Paz México tenga vida digna* (15 Februarii 2009), 67.
- [40] *Rel Fin* 2015, 25.

[41] *Ibid.*, 10.

[42] *Catechesis* (22 Aprilis 2015): *L'Osservatore Romano*, 23 Aprilis 2015, p. 7.

[43] *Catechesis* (29 Aprilis 2015): *L'Osservatore Romano*, 30 Aprilis 2015, p. 8.

[44] *Rel. Fin* 20015, 28.

[45] *Ibid.*, 8.

[46] *Ibid.*, 58.

[47] *Ibid.*, 33.

[48] *Rel Syn* 2014, 11.

[49] Conferentia Episcopalis Columbiae, *A tiempos difíciles, colombianos nuevos* (13 Februarii 2003, 3.

[50] Adhort. Ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 35: *AAS* 105 (2013), 1034.

[51] *Ibid.*, 164: *AAS* 105 (2013), 1088.

[52] *Ibid.*

[53] *Ibid.*, 165: *AAS* 105 (2013), 1089.

[54] *Relatio Synodi* 2014, 12.

[55] *Ibid.*, 14.

[56] *Ibid.*, 16.

[57] *Relatio Finalis* 2015, 41.

[58] *Ibid.*, 38.

[59] *Relatio Synodi* 2014, 17.

[60] *Relatio finalis* 2015, 43.

[61] *Relatio Synodi* 2014, 18.

[62] *Ibid.*, 19.

[63] *Relatio Finalis* 2015, 38.

[64] Ioannes Paulus II, Adhort. ap *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 13: AAS74 (1982), 94.

[65] *Relatio Synodi* 2014, 21.

[66] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1642.

[67] *Ibid.*

[68] *Catechesis* (6 Maii 2015): *L'Osservatore Romano* (7 Maii 2015), p. 8.

[69] Cfr Leo Magnus, *Epistula Rustico narbonensi episcopo*: PL, 54, 1205A; Hincmarus Remensis, *Epist. 22*: PL, 126, 142.

[70] Cfr Pius XII Litt. enc. *Mystici Corporis* (29 Iunii 1943): AAS 35 (1943), 202: “*Matrimonio enim quo coniuges sibi invicem sunt ministri gratiae*”.

[71] Cfr *Codex Iuris Canonici*, cc. 1116; 1161-1165; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, 832; 848-852.

[72] *Codex Iuris Canonici*, c. 1055 § 2.

[73] *Relatio Synodi* 2014, 23.

[74] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 9: AAS 74 (1982), 90.

[75] *Relatio finalis* 2015, 47.

[76] *Ibid.*

[77] *Homilia in Sancta Missa cum finis imponitur VIII Occursui Mundiali familiarum* (27 Septembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 28-29 Septembris 2015, 7.

[78] *Relatio Finalis* 2015, 53-54.

[79] *Ibid.*, 51.

[80] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 48.

[81] Cfr Codex Iuris Canonici, c. 1055 §1: “*Ad bonum coniugum atque ad proles generationem et educationem ordinatum*”

[82] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 2360.

[83] *Ibid.*, 1654.

[84] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 48.

[85] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 2366.

[86] Cfr Paulus VI, Litt. enc. *Humanae vitae* (25 Iulii 1968), 11-12: AAS 60 (1968), 488-489.

[87] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 2378.

[88] Congregatio pro Doctrina Fidei, Instr. *Donum vitae* (22 Februarii 1987), II, 8: AAS 80 (1988), 97.

[89] *Relatio Finalis* 2015, 63.

[90] *Relatio Synodi* 2014, 57.

[91] *Ibid.*, 58.

[92] *Ibid.*, 57.

[93] *Relatio finalis* 2015, 64.

[94] *Relatio Synodi*, 2015, 60.

[95] *Ibid.*, 61.

[96] *Codex Iuris Canonici*, c. 1136; cfr *Codex Ecclesiarum Orientalium*, c. 627.

[97] Pontificium Consilium pro Familia, *Sessualità umana: verità e significato* (8 Decembris 1995), 23.

[98] *Catechesis* (20 Maii 2015). *L'Osservatore Romano*, 21 Maii 2015, p. 8.

[99] Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 38: AAS 74

(1982), 129.

[100] *Sermo dioecetano coetui Romano* (14 Iunii 2015): *L'Osservatore Romano*, 15-16 Iunii 2015, p. 8.

[101] *Relatio Synodi* 2014, 23.

[102] *Relatio Finalis* 2015, 52.

[103] *Ibid.*, 49-50.

[104] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1641.

[105] Cfr Benedictus XVI, Litt. Enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 2: AAS 98 (2006), 218.

[106] S. Ignatius de Loyola, *Exercitia spiritualia*, Contemplatio ad amorem spirituaalem in nobis excitandum (230).

[107] Octavio Paz, *La llama doble*, Barcellona 1993, 35.

[108] Cfr S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae* II-II, q. 114, art. 2, ad 1.

[109] *Catechesis* (13 Maii 2015): *L'Osservatore Romano*, 14 Maii 2015, p. 8.

[110] S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae* II-II, q. 27, a. 1, ad 2.

[111] *Ibid.*, a. 1.

[112] Franciscus, *Catechesis* (13 Maii 2015): *L'Osservatore Romano*, 14 maii 2015, p. 8.

[113] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. postsynodalis *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 21: AAS 74 (1982), 106.

[114] *Sermo in ecclesia Baptistarum de Dexter Avenu*, Mons Gunderici (in Alabama), 17 Novembris 1957.

[115] Thomas Aquinatensis vocat amorem veluti «vis unitiva» (*Summa Theologiae* I, q. 20, a. 1, ad 3), sententiam recolens Dionysii Ps.-Aeropagitae (*De divinis nominibus*, IV, 12: PG 3, 709).

[116] S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae* II-II, q. 27, a. 2.

[117] Litt. enc. *Casti connubii* (31 Decembris 1930): AAS 22 (1930), 547-548.

- [118] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 13, AAS 74 (1982), 94.
- [119] *Catechesis* (2 Aprilis 2014); *L'Osservatore Romano*, 3 Aprilis 2014, p. 8.
- [120] *Ibid.*
- [121] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 9, AAS 74 (1982), 90.
- [122] Thomas Aquinas, *Summa contra Gentiles*, III, cap. 123; cfr Aristoteles, *Ethica Nic.*, 8,12 (ed. Bywater, Oxford 1984, 174).
- [123] Litt. enc. *Lumen Fidei* (29 Iunii 2013), 52: AAS 105 (2013), 590.
- [124] *De sacramento matrimonii*, I, 2: in Id. *Disputationes*, III, 5, 3 (ed. Giuliano, Napoli, 1858, 778).
- [125] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 50.
- [126] *Ibid.*, 49.
- [127] Cfr *Summa Theologiae* I-II, q. 31, a. 3, ad 3.
- [128] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 48.
- [129] S. Thomas Aquinas, *Sum. Theol.*, I-II, q. 26, a. 3.
- [130] *Ibid.*, q. 110, a. 1.
- [131] *Confessiones*, VIII, 3, 7: *PL* 32, 752.
- [132] *Allocutio ad familias mundi occasione data earum peregrinationis in Romam in Anno Fidei* (26 Octobris 2013): AAS 105 (2013), 980.
- [133] *Angelus* (29 Decembris anno 2013): *L'Osservatore Romano*, 30-31 Decembris 2013, p. 7.
- [134] *Allocutio ad familias mundi Romam in Anno Fidei venientes* (26 Octobris 2013): *L'Osservatore Romano*.
- [135] S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae* II-II, q. 24, art. 7.

[136] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 48.

[137] Conferentia Episcopalis Chiliae, *La vida y la familia: regalos de Dios para cada uno de nosotros* (21 Iulii 2014).

[138] Const. past. *Gaudium et spes*, 49.

[139] A. Sertillanges, *L'amour chrétien*, Paris 1920, 174.

[140] Cfr S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae* I-II, q. 24, art. 1.

[141] Cfr *ibid.*, q. 59, a. 5.

[142] Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 3: AAS 98 (2006), 219-220.

[143] *Ibid.*, 4: AAS 98 (2006), 220.

[144] Cfr S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae* I-II, q. 32, a. 7.

[145] Cfr *ibid.*, II-II, q. 153, a. 2, ad 2: «Abundantia delectationis quae est in actu venero secundum rationem ordinato, non contrariatur medio virtutis».

[146] Ioannes Paulus II, *Catechesis* (22 Octobris 1980), 5: *Insegnamenti* III, 2 (1980), 951.

[147] *Ibid.*, 3.

[148] Id., *Catechesis* (24 Septembris 1980), 4: *Insegnamenti* III, 2 (1980), 719.

[149] *Catechesis* (12 Novembris 1980), 2: *Insegnamenti* III, 2 (1980), 1133.

[150] *Ibid.*, 4.

[151] *Ibid.*, 5.

[152] *Ibid.*, 1: 1132.

[153] *Catechesis* (16 Ianuarii 1980), 1: *Insegnamenti* III,1 (1980), 151.

[154] Josef Pieper, *Über die Liebe*, München 2014, 174.

[155] Ioannes Paulus II, Litt. enc. *Evangelium vitae* (25 Martii 1995), 23: AAS 87 (1995), 427.

- [156] Paulus VI, Litt. enc. *Humanae vitae* (25 Iulii 1968), 13: AAS 60 (1968), 89.
- [157] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 49.
- [158] *Catechesis* (18 Iunii, 1980), 5: *Insegnamenti* III, 1 (1980), 1778.
- [159] *Ibid.*, 6.
- [160] Cfr *Catechesis* (30 Iulii 1980), 1: *Insegnamenti* III, 2 (1980), 311.
- [161] Cfr *Catechesis* (8 Aprilis 1981), 3: *Insegnamenti* IV, 1 (1981), 904.
- [162] Cfr *Catechesis* (11 Augusti 1982), 4: *Insegnamenti* V, 3 (1982), 205-206.
- [163] Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 5: AAS 98 (2006), 221.
- [164] *Ibid.*, 7.
- [165] *Relatio finalis* 2015, 22.
- [166] *Catechesis* (14 Aprilis 1982), 1: *Insegnamenti* V, 1 (1982), 1176.
- [167] *Glossa in quattuor libros sententiarum Petri Lombardi*, IV, XXVI,2 (Quaracchi 1957, 446).
- [168] Ioannes Paulus II, *Catechesis* (7 Aprilis 1982), 2: *Insegnamenti* V, 1 (1982), 1127.
- [169] *Id.*, *Catechesis* (14 Aprilis 1982), 3: *Insegnamenti* V, 1 (1982), 1177.
- [170] *Ibid.*
- [171] *Id.* Litt. enc. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 10: AAS 71 (1979), 274.
- [172] Cfr S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae* II-II, q. 27, a. 1.
- [173] Pontificium Consilium pro Familia, *Famiglia, matrimonio e "unioni di fatto"* (26 Iulii 200), 40.
- [174] Ioannes Paulus II, *Catechesis* (31 Octobris 1984), 6: *Insegnamenti* VII, 2 (1984), 1072.
- [175] Benedictus XVI, Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 8: AAS 98 (2006), 224.
- [176] Ioannes Paulus II, Adhortatio apostolica *Familiaris consortio* (22 novembris 1981), 14: AAS 74 (1982), 96.

[177] *Catechesis* (11 februarii 2015): *L'Osservatore Romano*, 12 februarii 2015, p. 8.

[178] *Ibid.*

[179] *Catechesis* (8 aprilis 2015): *L'Osservatore Romano*, 9 aprilis 2015, p. 8.

[180] *Ibid.*

[181] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, n. 51: «Omnibus vero compertum sit vitam hominum et munus eam transmittendi non ad hoc saeculum tantum restringi neque eo tantum commensurari et intelligi posse, sed ad aeternam hominum destinationem semper respicere».

[182] *Litterae ad Moderatores Nationum universi orbis et ad Secretarium Generalem Unitarum Nationum Coetus pro Congressu Internationali de populis eorundemque profectu* (18 martii 1994): *Insegnamenti*, 17/1 (1994), 750-751.

[183] Ioannes Paulus II, *Catechesis* (12 martii 1980), 3: *Insegnamenti*, 3/1 (1980), 543.

[184] *Ibid.*

[185] *Allocutio ad familias Manilae congregatas* (16 ianuarii 2015): *AAS* 107 (2015), 176.

[186] *Catechesis* (11 februarii 2015): *L'Osservatore Romano*, 12 februarii 2015, p. 8.

[187] *Catechesis* (14 octobris 2015): *L'Osservatore Romano*, 15 octobris 2015, p. 8.

[188] Conferentia Episcoporum catholicorum Australiae, Litt. past. *Don't Mess with Marriage* (24 novembris 2015), 11.

[189] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 50.

[190] Ioannes Paulus II, *Catechesis* (12 martii 1980), 2: *Insegnamenti*, 3/1 (1980), 542.

[191] Cfr Id. Litt. ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 30-31: *AAS* 80 (1988), 1727-1729.

[192] *Catechesis* (7 ianuarii 2015): *L'Osservatore Romano*, 7-8 ianuarii 2015, p. 8.

[193] *Ibid.*

[194] *Catechesis* (28 ianuarii 2015): *L'Osservatore Romano*, 29 ianuarii 2015, p. 8.

[195] *Ibid.*

[196] Cf. *Relatio finalis*, 2015, n. 28.

[197] *Catechesis* (4 februarii 2015): *L'Osservatore Romano*, 5 februarii 2015, p. 8.

[198] *Ibid.*

[199] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, n. 50.

[200] V Conferentia Generalis Episcoporum latinorum americanorum et caribicorum, *Documentum Apparitiopolitanum* (29 iunii 2007), 457.

[201] Cf. *Relatio finalis*, 2015, n. 65.

[202] *Ibid.*

[203] *Allocutio ad familias Manilae congregatas* (16 ianuarii 2015): AAS 107 (2015), 178.

[204] Mario Benedetti, *Te quiero*, in *Poemas de otros*, Buenos Aires 1993, 316.

[205] Cfr Franciscus, *Catechesis* (16 septembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 17 septembris 2015, p. 8.

[206] *Catechesis* (7 octobris 2015): *L'Osservatore Romano*, 8 octobris 2015, p. 8.

[207] Benedictus XVI, Litt. enc. *Deus caritas est* (25 decembris 2005), 14: AAS 98 (2006), 228.

[208] Cf. *Relatio finalis*, 2015, n. 11.

[209] *Catechesis* (18 martii 2015): *L'Osservatore Romano*, 19 martii 2015, p. 8.

[210] *Catechesis* (11 februarii 2015): *L'Osservatore Romano*, 12 martii 2015, p. 8.

[211] Cf. *Relatio finalis*, 2015, nn. 17-18.

[212] *Catechesis* (4 martii 2015): *L'Osservatore Romano*, 5 martii 2015, p. 8.

[213] *Catechesis* (11 martii 2015): *L'Osservatore Romano*, 12 martii 2015, 8.

[214] Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 novembris 1981), n. 27: AAS 74 (1982), 113.

- [215] *Allocutio ad participantes Conventum Internationalem de Tertia Aetate* (5 septembris 1980), n. 5: *Insegnamenti*, 3/2 (1980), 539.
- [216] *Relatio finalis*, 2015, n. 18.
- [217] *Catechesis* (4 martii 2015): *L'Osservatore Romano*, 5 martii 2015, p. 8.
- [218] *Ibid.*
- [219] *Allocutio ad senes* (28 septembris 2014): *L'Osservatore Romano*, 29-30 septembris 2014, p. 7.
- [220] *Catechesis* (18 februarii 2015): *L'Osservatore Romano*, 19 februarii 2015, p. 8.
- [221] *Ibid.*
- [222] *Ibid.*
- [223] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 novembris 1981), n. 18: *AAS* 74 (1982), 101.
- [224] *Catechesis* (7 octobris 2015): *L'Osservatore Romano*, 8 octobris 2015, p. 8.
- [225] *Rel Syn* 2014, 30.
- [226] *Ibid.*, 31.
- [227] *Rel Fin* 2015, 56.
- [228] *Ibid.*, 89.
- [229] *Rel Syn* 2014, 32.
- [230] *Ibid.*, 33.
- [231] *Ibid.*, 38.
- [232] *Rel Fin* 2015, 77.
- [233] *Ibid.*, 61.
- [234] *Ibid.*

[235] *Ibid.*

[236] *Ibid.*

[237] Cfr *Rel Syn* 2014, 26.

[238] *Ibid.*, 39.

[239] Conferentia Episcopalis Italiana. Commissio Episcopalis pro Familia et Vita, *Orientamenti pastorali sulla preparazione al matrimonio e alla famiglia*, Roma (22 Octobris 2012), 1.

[240] Ignatius de Loyola, *Exercitia spiritualia*, adnotatio 2.

[241] *Ibid.*, adnotatio 5.

[242] Ioannes Paulus II, *Catechesis* (27 Iunii 1984), 4: *Insegnamenti* 7/1 (1984), 1941.

[243] *Catechesis* (21 Octobris 2015): *L'Osservatore Romano*, 22 Octobris 2015, 12.

[244] Conferentia Episcopalis Keniae, *Nuntius Quadragesimalis*, 18 Februarii 2015.

[245] Cfr Pius XI, Litt. Enc. *Casti connubii* (31 Decembris 1930), 42: *AAS* 22 (1930), 583.

[246] Ioannes Paulus II, *Catechesis* (4 Iulii 1984), 3.6: *Insegnamenti* 7/2 (1984), 9.10.

[247] *Rel Fin* 2015, 59.

[248] *Ibid.*, 63.

[249] Const. past. *Gaudium et spes*, 50.

[250] *Rel Fin* 2015, 63.

[251] *Rel Syn* 2014, 40.

[252] *Ibid.*, 34.

[253] *Cantico Espiritual*, B, XXV, 11.

[254] *Rel Syn* 2014, 44.

[255] *Rel Fin* 2015, 81.

[256] *Ibid.*, 78.

[257] *Catechesis* (24 Iunii 2015): *L'Osservatore Romano*, 25 Iunii 2015, p. 8.

[258] Ioannes Paulus II, Adh. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 83: AAS 74 (1982), 184.

[259] *Rel Syn* 2014, 47.

[260] *Ibid.*, 50.

[261] Cfr *Catechesis* (5 Augusti 2015): *L'Osservatore Romano*, 6 Augusti 2015, p. 7.

[262] *Rel Syn* 2014, 51; cfr *Rel Fin* 2015, 84.

[263] *Ibid.*, 48.

[264] Cfr Motu proprio *Mitis Iudex Dominus Iesus* (8 Septembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 9 Septembris 2015, pp. 3-4; Motu proprio *Mitis et Misericors Iesus* (8 Septembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 9 Septembris 2015, pp. 5-6.

[265] Motu proprio *Mitis Iudex Dominus Iesus* (8 Septembris 2015), praeambulum, III: *L'Osservatore Romano*, 9 Septembris 2015, p. 3.

[266] *Rel Fin* 2015, 82.

[267] *Rel Syn* 2014, 47.

[268] *Catechesis* (20 Maii 2015): *L'Osservatore Romano*, 21 Maii 2015, p. 8.

[269] *Catechesis* (24 Iunii 2015): *L'Osservatore Romano*, 25 Iunii 2015, p. 8.

[270] *Catechesis* (5 Augusti 2015): *L'Osservatore Romano*, 6 Augusti 2015, p. 7.

[271] *Rel Fin* 2015, 72.

[272] *Ibid.*, 73.

[273] *Ibid.*, 74.

[274] *Ibid.*, 75.

[275] Cfr *Misericordiae Vultus*, 12: AAS 107 (2015), 409.

[276] Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 2358; *Relatio finalis* 2015, 76.

[277] *Ibid.*

[278] *Relatio finalis* 2015, 76; Congregatio de Doctrina Fidei, *Considerazioni circa i progetti di riconoscimento legale delle unioni tra persone omosessuali*, (3 Iunii 20039, 4.

[279] *Relatio finalis* 2015, 80.

[280] Cfr *ibid.*, 20.

[281] *Catechesis* (17 Iunii 2015): *L'Osservatore Romano*, 18 Iunii 2015, p. 8.

[282] *Rel Fin* 2015, 19.

[283] *Catechesis* (17 Iunii 2015): *L'Osservatore Romano*, 18 Iunii 2015, p. 8.

[284] *Ibid.*

[285] Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 958.

[286] *Ibid.*

[287] Cfr Ultimi colloqui, "Quaderno giallo" di Madre Agnese, 17 Iulii 1897: *Opere complete*, Città del Vaticano – Roma 1997, 1028. Hac de re clara est sororum testificatio de sanctae Teresiae sponsione cuius de hoc mundo discessum fore "rosarum pluviam" (*ibid*, 9 Iunii, 991).

[288] Iordanus de Saxonia, *Libellus de principiis Ordinis predicatorum*, 93.

[289] Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 957.

[290] *Ibid.*, 955.

[291] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013): AAS 105 (2013), 1111.

[292] *Catechesis* (20 Maii 2015): *L'Osservatore Romano*, 21 Maii 2015, p. 8.

[293] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 17.

[294] *Catechesis* (30 Novembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 1 Octobris 2015, p. 8.

- [295] *Catechesis* (10 Iunii 2015): *L'Osservatore Romano*, 11 Iunii 2015, p. 8.
- [296] Cfr *Relatio finalis* 2015, 67.
- [297] *Catechesis* (20 Maii 2015): *L'Osservatore Romano*, 21 Maii 2015, p. 8.
- [298] *Catechesis* (9 Septembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 10 Septembris 2015, p. 8.
- [299] *Relatio finalis* 2015, 68.
- [300] *Ibid.*, 58.
- [301] Decl. *Gravissimum educationis*, 1.
- [302] *Relatio finalis* 2015, 56.
- [303] Erich Fromm, *The Art of Loving*, New York 1956, p. 54.
- [304] Litt. enc. *Laudato si'* (24 Maii 2015), 155.
- [305] *Catechesis* (15 Aprilis 2015): *L'Osservatore Romano*, 16 Aprilis 2015, p. 8.
- [306] Cfr *Relatio finalis* 2015, 13-14.
- [307] *De sancta virginitate*, 7, 7: *PL* 40, 400.
- [308] *Catechesis* (26 Augusti 2015): *L'Osservatore Romano*, 27 Augustii 2015, p. 8.
- [309] *Relatio finalis* 2015, 89.
- [310] *Ibid.*, 93.
- [311] *Relatio Synodi*, 2014, 24.
- [312] *Ibid.*, 25.
- [313] *Ibid.*, 28.
- [314] *Ibid.*, 41.
- [315] *Relatio Synodi*, 2014, 27.

[316] *Ibid.*, 26.

[317] *Ibid.*, 41.

[318] *Ibid.*

[319] *Relatio finalis*, 2015, 41.

[320] Cfr *ibid.*

[321] *Relatio Synodi*, 2014, 42.

[322] *Ibid.*, 43.

[323] Adhortatio apostolica *Familiaris consortio* (22 novembris 1981), 34: AAS 74 (1982), 123.

[324] *Ibid.*, 9: AAS 74 (1982), 90.

[325] Cfr *Catechesis* (24 iunii 2015): *L'Osservatore Romano*, 25 iunii 2015, p. 8.

[326] *Homilia in Eucharistia cum Cardinalibus nuper electis celebrata habita* (15 februarii 2015): AAS 107 (2015), 257.

[327] *Relatio finalis*, 2015, 51.

[328] *Relatio Synodi*, 2014, 25.

[329] Ioannes Paulus II, Adhortatio ap. *Familiaris consortio* (22 novembris 1981), 84: AAS 74 (1982), 186. His in adiunctis permulti, scientes et accipientes facultatem convivendi 'tamquam frater et soror', quam Ecclesia iisdem praebet, animadvertunt quod, destitutis consuetudinibus quibusdam intimae necessitudinis, «bonum fidei non raro in discrimen vocari et bonum prolis pessumdari possunt» (Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 51).

[330] Ioannes Paulus II, Adhortatio ap. *Familiaris consortio* (22 novembris 1981), 84: AAS 74 (1982), 186.

[331] *Relatio Synodi*, 2014, 26.

[332] Cfr *Ibid.*, 45.

[333] Benedictus XVI, *Sermo in VII Occursu Mundiale Familiarum*, Mediolani (2 Iunii 2012), responsum 5: *Insegnamenti VIII*, 1 (2012), 691.

[334] *Relatio finalis*, 2015, 84.

[335] *Ibid.*, 51.

[336] Quod constat etiam quoad disciplinam sacramentalem, cum discretio comprobare possit in peculiaribus adiunctis gravem deesse culpam: adiungitur hic quae alibi argui: cf. Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 novembris 2013), 44. 47: AAS 105 (2013), 1038. 1040.

[337] *Relatio finalis*, 2015, 85.

[338] *Ibid.*, 86.

[339] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 33: AAS 74 (1982), 121.

[340] *Relatio finalis* 2015, 51.

[341] Cfr *Summa Theologiae* I-II, q. 65, a. 3, ad 2; *De malo*, q. 2, a. 2.

[342] *Ibid.*, ad 3.

[343] N. 1735.

[344] Cfr *ibid.*, n. 2352; Congregatio pro Doctrina Fidei, Decl. *Iura et bona de euthanasia* (5 Maii 1980), II: AAS 72 (1980), 546. Ioannes Paulus II, notionem 'optionis fundamentalis' impugnans, concedebat quod «sine dubio condiciones esse possunt admodum implicatae et obscurae, quod ad rem psychologiam attinet, quae ad 'imputabilitatem' subiectivam peccantis habent momentum» (Adhort. ap. *Reconciliatio et paenitentia* [2 Decembris 1984], 17: AAS 77 [1985], p. 223).

[345] Cfr Pontificium Consilium de Legum Textibus, *Declaratio de facultate admittendi ad sacram Communionem repudiatos a coniugio, qui novas nuptias inierunt* (24 iunii 2000), 2.

[346] *Relatio finalis* 2015, 85.

[347] *Summa Theologiae* I-II, q. 94, a. 4.

[348] Ad scientiam generalem normae et ad scientiam peculiarem practicae discretionis spectans, sanctus Thomas Aquinas asserere pergit quod «si alteram solum contingat ipsum habere, magis debet habere hanc, scilicet notitiam particularium, quae sunt propinquiora operationi»: *Sententia libri Ethicorum*, VI, 6 (ed. Leonina, t. XLVII, 354).

[349] *Allocutio in fine XIV Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum habita* (24 Octobris 2015): *L'Osservatore Romano*, 25-26 Octobris 2015, p. 13.

[350] *Quaerere ethicam universalem: novus legis naturalis intuitus* (2009), 59.

[351] Quibusdam in casibus esse etiam potest subsidium Sacramentorum. Quapropter, «sacerdotibus memoramus confessionale esse non debere aulam tormenti, sed locum Dominicae misericordiae» (Adhort. ap. *Evangelii gaudium* [24 Novembris 2013], 44: AAS 105 [2013], 1038). Dicimus pariter Eucharistiam «non esse praemium perfectorum, sed debilium munificum remedium et alimoniam» (*ibid.*, 47: 1039).

[352] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 44: AAS 105 (2013), 1038-1039.

[353] *De catechizandis rudibus*, I, 14 (22): PL 40, 327; cfr Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 193: AAS 105 (2013), 1101.

[354] *Relatio Synodi*, 2014, 26.

[355] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 44: AAS 105 (2013), 1038.

[356] *Ibid.*, 45: AAS 105 (2013), 1039.

[357] *Ibid.*, 270: AAS 105 (2013), 1128.

[358] Bulla *Misericordiae Vultus* (11 Aprilis 2015), 12: AAS 107 (2015), 407.

[359] *Ibid.*, 5: 402.

[360] *Ibid.*, 9: 405.

[361] *Ibid.*, 10: 406.

[362] Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 47: AAS 105 (2013), 1040.

[363] Cfr *ibid.*, 36-37: AAS 105 (2013), 1035.

[364] Fortasse propter scrupulum post desiderium magnum fidelitatis erga veritatem abditum, sacerdotes quidam a paenitentibus propositum resipiscentiae omnibus fugatis umbris adeo exigunt, ut misericordia in iustitiam mere suppositive puram inquirendam evanescat. Proinde, est operae pretium recordari praecepti sancti Ioannis Pauli II, qui novum lapsum quamquam praevisum «nullomodo praeiudicare genuinitatem propositi» affirmavit (*Epistula ad Cardinalem Vilelmum W. Baum pro schola de foro interno a Paenitentiaris Apostolica instituta* [22 Martii

1996], 5: *Insegnamenti*, XIX/1 [1996], p. 589).

[365] Commissio Theologica Internationalis, *De spe salutis pro pueris qui sine baptismo pereunt* (19 Aprilis 2007), 2.

[366] Bulla *Misericordiae Vultus* (11 Aprilis 2015), 15: AAS 107 (2015), 409.

[367] Decr. *Apostolicam actuositatem*, 4.

[368] Cfr *ibid.*

[369] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 49.

[370] Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 16: AAS 98 (2006), 230.

[371] *Ibid.*, 39: AAS 98 (2006), 250.

[372] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. post-syn. *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 40: AAS 81 (1989), 468.

[373] *Ibid.*

[374] *Relatio finalis* 2015, 87.

[375] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. post-syn. *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 42: AAS 88 (1996), 416.

[376] Cfr *Relatio finalis* 2015, 87.

[377] Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 57: AAS 74 (1982), 150.

[378] Ne obliviscamur quidem Foedus Dei cum populo tamquam sponsalia exprimi (cfr *Ez* 16, 8. 60; *Is* 62,5; *Os* 2,21-22) atque Novum Testamentum etiam uti matrimonium praeberi (cfr *Ap* 19,7; 21,2; *Eph* 5,25).

[379] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 11.

[380] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 11: AAS 74 (1982), 93.

[381] Id., *Homilia in sancta Missa pro familiis Cordubae in Argentina habita* (8 Aprilis 1987), 4:

Insegnamenti 10/1 (1987), 1161-1162.

[382] Cfr *Gemeinsames Leben*, München 1973, 18 (versio Italica: *La vita comune*, Brixiae 1973, 46).

[383] Conc. Oecum. Vat. II, Decr. *Apostolicam actuositatem*, 11.

[384] *Catechesis* (10 Iunii 2015): *L'Osservatore Romano* (11 iunii 2015), p. 8.

[385] Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 12: AAS 74 (1982), 93.

[386] *Allocutio in Festo Familiarum et in Vigiliis precatationis*, Philadelphiae (26 Septembris 2015): *L'Osservatore Romano*, 28-29 Septembris 2015, p. 6.

[387] Gabriel Marcel, *Homo viator. Prolégomènes à une métaphysique de l'espérance*, Parisiis 1944, 63.

[388] *Relatio finalis* 2015, 88.

[389] Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 44: AAS 74 (1982), 136.

[390] *Ibid.*, 49: AAS 74 (1982), 141.

[391] De socialibus adnexis familiae, cfr Pontificium Consilium de Iustitia et Pace, *Compendium Doctrinae Socialis Ecclesiae*, 248-254.